# Claudii Altiſsio

DORENSIS, *vel (ut certior coniectu-ra eſt) Taurinenſis Epiſcopi, Alcuini quondã tum ſub Venerabili Beda, tum in fundatione academiæ Pariſiẽſis collegæ,* In Epi. D. PAVLI *ad Galatas doctiſs. enarratio,* Nunc *primùm luce donata.*

Scripſit ante annos ſeptingentos & triginta, ſub Ludouico Pio.

¶ *Apud Petrum Vidouæum,* Ante *colle-gium* Remenſe.

BIBLIOTECA NATIONALE 1872

## Ex Ioanne Tritemio de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

Claudius Monachus ordinis ſancti Benedicti, diſcipulus quondam Bedæ in Anglia, et collega Albini leuitæ & abbatis, natione Scotus, uir in diuinis ſcripturis ualde ſtudioſus & eruditus, & ſecularis doctrinæ nō ignarus, carmine exercitatus & proſa, multa in ſacris uoluminibus compoſuit opuſcula: de quibus feruntur,

| | |
|---|---|
| *In quinque lib.* Moyſi | lib. 5. |
| In Iudicum quoque | lib. 1. |
| In lib. Ruth | lib. 1. |
| *In Euang.* Mathæi | lib. 1. |

Et *alia multa.* Claruit in Gallia, ſub Carolo Magno, Anno Domini D C C C.

Hæc Tritemius.

# AD LECTOREM.

Nil mirum ſit tibi cãdide lector, nec Claudiũ hic à Tritemio eſſẽ dici, neq; in Paulum quẽpiam ſcripſerit mentionẽ expreſſe fieri. Nihil forſan Tritemius præterquam de eo audiuit. Quod mihi facile perſuadeo, cum ex operum initijs (vt fere ſolet) ne verbum quidem vllum. Neque certe neceſſe eſt, vnum Tritemium, quãtumuis & eruditum hominem, & indefeſſum antiquitatis indagatorem omneis omnium authorum (quorũ vitam texuit) lucubratiões, imo nec nomina ad vnguem nouiſſe. Ceterum, cum & nos quoque de Claudio, non quidem an epiſcopus fuiſſet, quod ex ſingulorum eius operum præfationibus in aperto eſt, ſed vbinam epiſcopatum geſſiſſet hæſitaremus, nullius certiore coniectura ducebamur, quam Altiſſiodorenſis diœceſeos, vnde noſtra exemplaria deuecta ſunt. Tandẽ tamen (ſed iam ferme abſoluta ſub titulo Altiſſiodo

renſis epiſcopatus opuſculi huius ęditio
ne) a Ioanne Tillio tum doctiſsimo, tum
multæ antiquitatis homine commoniti
ſumus, vidiſſe ſe eorumdem operum alia
quædam exemplaria, quorum omnium
frontibus atque initiis Claudij Taurinen
ſis epiſcopi nomen præfixum eſſet. Tu
itaque, lector, beneuole excuſabis, quod
prima huiuſce libelli facies, quę poſtrema
excuſſa eſt, non eundem plane cum reli
quis titulum geſtet. Nolim præterea te fu
giat, hunc authorem noſtrum vnum ex
ijs quatuor extitiſſe, qui olim a celeberri
mo illo Francorum rege Carolo Magno
ex venerabilis Bedæ ſchola euocati Pari
ſienſem academiam tum primum ab eo
dem Carolo fundatam & inſtitutam, ſuis
prælectionibus illuſtrarunt. Quod quidē
Paulus AEmilius fidiſſimus author circa
finem vitę ipſius Caroli apertiſſime teſta
tur. Scripſit autē Claudius, pręter ea quę
a Tritemio recenſentur, in ōneis diui Pau
li epiſtolas: idque tum doctiſsime, vt tu ip
ſe per te deprehendes, tum copioſiſſime.
Quod ſi hunc in epiſtolam ad Galatas cō
mentarium (quem tibi velut in primam
deguſtationē propinamus, quod primus

etiamvideatur ab authore ſcriptus eſſe) nõ nihil palato tuo reſpondere viderimus, dabimus profectò operam, vt quos tum ĩ reliquas epiſtolas, tum in Mathęum ampliſſimos ædidit tibi apparentur. Hoc vno interim cum beneuolentia fruere. Vale.

*Illuſtriſſimo principi ac D.D. Ludouico à Lothoringia diui Germani Altiſsiodorenſis abbati Petrus Peſſeliærus eiuſdẽ monaſterij cœnobita* S.

IVre cautum eſſe palã eſt, princeps ſplendidiſſime, theſaurũ in alieno ſolo repertum non illius omnino eſſe, qui ſoli ipſius dominio ac poſſeſſione fruatur, ſed eum quoque, cuius opera è latebris aliquando emerſerit, partem ſibi vendicare. Quod tamen ita demum verum eſſe exiſtimare conuenit, niſi is, qui nactus ſit, eius poteſtati ac mancipio ſit adſtrictus, qui ſoli ipſius dominus habetur. Quod ſi acciderit, conſtat inter omneis, ne minimam quidem partem inuentori, ſed totum domino adiudicari oportere. Quocirca haud

abs re me facturum ſum arbitratus, ſi the ſaurum omnibus copijs ac diuitijs multò nobiliorem, quem nuper in ampliſſimo il lo acceleberrimo diui Germani Altiſſio dorenſis monaſterio tuo comperi, nulla planè ipſius parte mihi reſeruata, tibi inte grum reſtituendum curarem. Neque em̄ negare poſſum, neq; eſt meę exiſtimatio nis, vt non ingenuè fatear, me tuę ditionis vinculo deuīctum ſempiterno. Ego qui dem cùm ſuperioribus diebus illic eſſem, variaſque ſcientiarum omnium gemmas euoluerem, quæ ſanè non paucæ in biblio theca vetuſtiſſima diligenter aſſeruantur, forte occurrerūt huius Claudij in omneis ferme Pauli epiſtolas commentaria. Quę quum excuſſis, vt fieri ſolet, pulueribꝰ ra ptim percurriſſem, miratus ilico ſuperiorū ętatum incuriā, indigniſſimum putaui, tā precioſum theſaurū tamq; exquiſitum ia cere, ac magna cū reipub. chriſtianę iactura tādiu deliteſcere. Quantā ei ſtudioſiſſimo cuiq; ſacrarum literarū acceſſionem ſit ala turus, dici profectò non poteſt: præſertim cùm ſplendore ſuo eam lucem Paulinę le ctioni afferat, vt ad ipſius arcana ſenſa, & abſtruſos locos explicandos aditum facilē

prębere videatur. Ob hanc cauſam eum è tenebris eruēdum eſſe, ac protinùs in vulgus emittendum duxi: ſimul etiam quòd ſperarem maiorem apud te gratiam habiturum, ſi, priuſquam tibi reſtituerem, omnibus pateret: quippe cũ tanta ſis liberalitate præditus, vt quod ſoli tibi optimo iure adſeruare poſſes, vnicuiq; cõmune eſſe (quò bonum ſit diuinius) non moleſtè patiare. Pręterea non ſinebat tuæ dignitatis amplitudo, vt incultum & ſqualore obſitum, qualem repereram, tibi ob oculos ponerem: qui pro illa tua nobilitate, quæ eſt maxima, qua apud te oĩa nitent, nihil niſi elegans & expolitum amplecti ſoles. Excuſsum igitur, & infinitis propè mendis, quibus ſcribarum inſcitia totus ſcatebat, hũc in modum repurgatum gratiorem tibi fore ſuſpicatus ſum: Quem incredibilis tuę celſitudinis candor ac ſumma humanitas tam liberali animo excipere mihi me refugiet, quàm prompto ac obſequioſo offertur. Verumenimuerò non permittunt temporis anguſtiæ, vt vniuerſum hunc à me repertum theſaurũ impræſentià euulgare poſſim, ſed interea dum reliquum opus nitidiùs à nobis exſcribitur,

eam tantùm partem, quæ epiſtolam diui-
nitus à Paulo ad Galatas miſſam illuſtrat.
Quam ſi tibi probari, ſtudioſisq; vtilita-
ti eſſe intelligam, dabo operam, vt cũ pri-
mùm licuerit quod mihi ſupereſt in publi
cum itidē prodeat. Cęterùm princeps illu
ſtriſsime, cũ veteres ſibi glorioſum ac præ
clarum ſemper duxerint, vt ſi quid in lucē
ędere conarentur, id ſummi alicuius atque
excellentis viri patrocinio fultum in ma-
nus hominum veniret: facere me hercule
non poſsum, quin plurimum huic noſtro
Claudio congratuler: cui nimirùm obtige
rit, tanto ſub principe in lucem exire. Cre
do equidem cœleſti quodam numine ita
accidiſse, vt theſaurus iſte chriſtianæ philo
ſophiæ tam vtilis, qui quondam ſub cele-
berrimo illo Francorum rege ſimul & im
peratore Ludouico pio congeſtus fuiſset
(vt ex hoc atque alijs eius operibus intelli
gi poteſt) ſub Ludouico à lothoringia diui
Germani Altiſſiodorenſis abbate præcel
lentiſſimo è latebris tandem emergeret.
Quis enim te clarior? Quis patronus me
lior? Quis propugnator conſtantior, qui
ex tam altę præſtantisq; virtutis familia
originem duxiſti? Nã quanto ardore ad ſa

cræ religionis, noſtręq́ chriſtianæ reipub. defenſionẽ cõflagrarint tui maiores, haud quiſquã eſt qui neſciat, cũ ꝑmulta admirandę illorum virtutis in Francorum annalibus aliiſq; hiſtoriis extent teſtĩonia. Quis ignorat magnum illum Godofredũ Billonium quã incredibili diligentia ac fortitudine ſanctiſſimum Hieroſolymitanum regnum ab Ethnicorum ſpurcitiis & tyrãnide vĩdicarit? Quis diuum illum Petrum à Luxemburgo, matris atauum? Quis ſacroſanctum Frãcorum regem diuum Ludouicum, & ĩnumerabileis alios è veſtra vtraque ſtirpe ĩ ſctõrum catalogum aſſcriptos neſcit? Porrò ſi quis hæc forſan vt remota nimis faſtidire videatur, ecquis magnificentiſſimi patris fortitudinẽ nõ extollit? Quis ſagaciſsimę matris prudentiã ac liberalitatem nõ vſq; ad miraculum ſuſpicit? Quis denique generoſiſſimi fratris D. Archiepĩ Remenſis tum ſenilem in iuuenili corpore maturitatem, tum inauditã ingenii vĩ ac eruditionem non vehementer admiratur? Vtinã aut hic locus pateretur, aut tãta mihi dicẽdi facultas ſuppeteret, vt de illis oĩbus, ac de teipſo præſertim, deque tuis ad magnanimitatem reliquaſque heroicas do

tes igniculi s, & iã ſeſe paulatĩ exerẽtibus virtutibus pro dignitate dicere poſsẽ. Sed erit (ſpero) aliàs & oportunior locus, & eloquendi uis aliquantò amplior. Quam obrem vt hic in ſumma complectar, hoc tantum adijciã, ex nobiliſsima tua indole, ac tam vehementi aſsiduóque, quem in literarum ſtudia ĩpendis, labore, ſpem haud mediocrem imitandę maiorũ tuorum virtutis omnibus inijci. Faxit deus opt. max. vt eò tandem fœlicibus auſpicijs proueharis. Bene vale illuſtriſſime princeps, atque abbas præſtantiſsime. Lutetię Idibus Septembris. 1542.

AD LIBRVM, VT ADEAT DOMVM *illuſtriſſimi principis D. Caroli à Lothoringia Archiepiſcopi Remenſis, eiuſdem Peſſeliæri Carmen.*

PRicipis auguſtos liber ĩgreſſurę penates,
Et vera illuſtrem nobilitate domum,
Indue te dignos vult⁹, dominũq; ſaluta,
Teque opus eximij præſulis eſſe refer.
Protinùs excipiet, cognato nomine lætus,
Præſul, & à magnis ęditus ille viris.
Si neſcis, ille eſt Solymorum è ſanguine regum,
Et numerat generis ſtemmata priſca ſui.
Hic ille eſt heros, qui dotibus vndique ſummis
Irradians ſuperæ lampados inſtar habet.

Huic iamiam a puero rerum prudentia ceſſit,
Qua ſemper libra ponderet cuncta ſuo.
Hunc pietas, hunc alma fides, ſine crimine vita,
Cęlicolum niueis inſeruere choris.
Hunc poſt liminio rediens Aſtręa reuiſit,
Olim hominum vaſtis cędibus acta procul.
Nobilium e vulgo cēſes, quos Sortis iniquę
Munera, quos nimium gloria tollit humo?
Impia quos mulcet, cęcoſque ſuperbia reddit,
Et procul a muſis & probitate fugat?
Non ita Delicię hic ſuperum, Quem regia Iuno
Diuitiis, alta mente Minerua beat.
Iuppiter hūc parium primo decorauit honore,
Huic ſoli reges poſſe ſacrare dedit.
Nec tamen inde animis elatior extitit heros;
Aut quicquam a recto tramite flexit iter.
Quī magis atque magis feruens virtute gradatī
Herculeo inuictus robore ſumma petit.
Hunc lauro Phœbus, Charitū ſimul, aonidūque
Reddidit inſignem munere quęque ſuo.
Abſoluit κύκλον, qui nondum luſtra peregit
Bis duo, nec malas primula barba tegit.
Quod ſi dicturus facunda reſoluerit ora;
Aequat Nelęi dulcia verba ſenis.
Is talis cum ſit, poſito, liber, ito timore:
Ars mites animos ingeniumque facit.
Hoc duce floreſcūt artes pulchreque reſurgūt,
Pulucreo dudum quę iacuere ſitu.
Hoc duce virtuti ſacræ non præmia deſunt,
Debitus & Muſis hoc duce fertur honos,

# AVTHORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

Domino piiſſimo, & in Chriſto ſũmo mihi honore ſingulariter excolẽdo Druſterãno abbati Claudius pſtõr. Tres, ni fallor, & eò amplius iam pertranſeunt tempore anni, quòd me adhuc in aluenni ceſpitis aruo, in palatio pij principis domini Ludouici tunc regis, modò imperatoris, detentum ſocordia ſenſus mei tua feruida dilectione adorſus es excitare, ut aliquem fructuoſum laborem in epiſtolis magiſtri Gentium adſumerem apoſtoli Pauli. Sed quia laboribus & turbinibus mundi depreſſus hactenus parere iuſſioni tuæ nequiui, modò largiente deo in iſto quadrageſimæ tempore epiſtolam beati iam dicti Apoſtoli Pauli ad Galatas ex tractatibus beatorũ Auguſtini & Hieronymi patrum permixtis procuraui ordinare ſententijs. In quibus tractatibus cùm ad congruentem expoſitionẽ multa deeſſe cernerẽ, uerti me ad alios libros præfati iam patris Auguſtini, & exinde eam, quæ in illis deerat tractatibus, explere ſtudui expoſitionem. Nonnulla etiam, ut mihi uiſum eſt, infra illorũ locutionem, mea ſtudui coniungere uerba, quæ utranque expoſitionem abſque ſciſſione coniungerent, & legentis exercerent ſenſum, & faſtidiũ facerent euitare. Hanc interim quaſi manubias quaſdam tuæ ouans dirigere ſtudeo ſanctitati: ut quoties eã manu tenueris, & legeris mei memor eſſe digneris: & in unum coniungat immẽſa ubique præſens Chriſti charitas, quos ſpatia terrarũ diſſociãt. De cæteris uerò epiſtolis, iam multa in manibus noſtris tenentur excerpta, ad quas, ſi dominus uo

lucrit, & uitam atque ſalutem conceſſerit, orantibus uobis pro nobis, ad expoſitionem illarum quantotius potuero accedere procurabo. Pius & miſericors deus reuerendam mihi beatitudinem tuam, ad profectum & ornatum eccleſiæ ſuæ, & annis multiplicare dignetur, & meritis. Vale in domino uir dei, & memento mei.

## ARGVMENTVM EPITOLAE D. Pauli ad Galatas.

GAlatæ ſunt Græci. Galatia dicta à priſcis Gallorum gentibus, à quibus extitit occupata. Nam Galli in auxiliũ regis Bithiniæ uocati, regnũ cum eo poſt peractam uictoriam diuiſerunt: ſicque deinde Græcis admixti, primùm Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum regio Galatia nuncupatur. Hi uerbum ueritatis primũ ab apoſtolo acceperunt, ſed poſt diſceſſum eius tentati ſunt à falſis apoſtolis, ut in legem & circuncisionem uerterentur. Hos apoſtolus reuocat ad fidem ueritatis, ſcribens eis ab Epheſo. Hoc uel maximè argumento Galatæ erant à pſeudoapoſtolis perſuaſi atque ſeducti, quòd Paulum, per quẽ uero euangelio crediderãt, non eſſe apoſtolum audiebant: Videlicet, quia neque de duodecim electus, neque Chriſtum, ut Petrus & cæteri, aliquandò ſecutus fuiſſet. Quam derogationem neceſſe habebat ueris rationibus, ac authoritate ſancti ſpiritus refutare, per ordinem probãs non ſe ab hominibus, neque per hominem miſſum: ſed per eum, qui ipſum & cæteros in ordinem apoſtolatus elegit.

## ITEM ALIVD ARGVMENTVM.

CAuſa propter quam ſcribit Apoſtolus
ad Galatas, hæc eſt, ut intelligant gra-
tiam dei id ſecũ agere, ut ſub lege iam
non ſint. Cùm enim prædicata eis eſſet
euangelij gratia, non defuerunt quidã
ex circumciſione, quamuis chriſtiani nomine, nondum
tamen tenentes ipſum gratiæ beneficiũ, & adhuc uolẽ
tes eſſe ſub oneribus legis, quam dominus deus impoſue
rat, non iuſtitiæ ſeruientibus, ſed peccato: iuſtam ſcili-
cet legem iniuſtis hominibus dando, ad demonſtranda
pctã eorũ, non auferẽda. Nonenim aufert peccata niſi
gratia fidei quæ per dilectionem operatur. Sub hac er-
go gratia iam Galatas conſtitutos illi uolebant conſti
tuere ſub oneribus legis, adſeuerantes nihil eis prodeſ-
ſe euangelium, niſi circunciderentur, & cæteras carna
les Iudaici ritus oſeruationes ſubirent. Et ideò Paulum
apoſtolum ſuſpectum habere cœperant, à quo illis euã
gelium prædicatum erat, tanquam non tenentem diſci-
plinam cæterorum apoſtolorum, qui gentes cogebant
iudaizare. Ceſſerat enim talium hominum ſcandalis
apoſtolus Petrus, & in ſimulationem eorum ductus e-
rat, tanquam & ipſe hoc ſentiret, nihil prodeſſe genti-
bus euangelium, niſi onera legis implerent. A qua ſimu
latione idẽ apoſtolus Paulus eũ reuocauit, ſicut in hac
ipſa epiſtola docet. Talis quidem quæſtio eſt & in epi
ſtola ad Romanos: Veruntamen uidetur aliquid inter
eſſe, quòd ibi contentionem ipſam dirimit, litemque com
primit, quæ inter eos qui ex Iudæis, & eos qui ex gen-

tibus crediderant, orta erat: cùm illi tanquam ex meritis operum legis ſibi redditum euangelij præmium arbitrarentur, quod præmium incircunciſis, tanquam immeritis, nolebant dari: illi contrà Iudæis ſe præferre geſtirent, tanquam interfectoribus domini. In hac uerò epiſtola ad eos ſcribit, qui iam commoti erant auctoritate illorum, qui ex Iudæis erant, & ad obſeruationes legis cogebant. Cœperāt enim eis credere, tanquā Paulus apoſtolus non uera prædicaſſet, quòd eos circuncidi noluiſſet: & ideò ſic cœpit. Miror quòd ſic tā citò tranſferimini ab eo, qui uos uocauit in gloriam Chriſti, in aliud euangelium. Hoc ergo exordio cauſæ quæſtionē breuiter inſinuauit: quanquam & ipſa ſalutatione (cùm dicit ſe apoſtolum non ab hominibus, neque per hominem, quod in nulla alia epiſtola dixiſſe inuenitur) ſatis oſtendit, & illos qui talia perſuadebant non eſſe à deo, ſed ab hominibus: & cæteris apoſtolis, quantum ad auctoritatem teſtimonij euangelici pertinet, imparem ſe haberi nō oportere. Quandoquidē non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & deum patrem, ſe apoſtolum nouerit. Singula igitur ab ipſo epiſtolæ ueſtibulo permittente domino, & adiuuante ſtudium noſtrū, ſic conſideranda, & tractanda ſuſcepimus.

# IN CAPVT PRIMVM
## Exegeſis.

*Cur Apoſtolus nomē ſuum epiſtolis præfigat*

PAVLVS Apoſtolus. *Quòd nomen ſuum Apoſtolus Paulus in omnibus penè epiſtolis præponit in titulo, auctoritas eſt. Vt enim iudices ſeculi huius, quò nobiliores eſſe uideantur, ex regibus quibus ſeruiunt, & ex dignitate qua intumeſcunt, uocabula ſortiuntur: ita & Apoſtolus grandem inter Chriſtianos ſibi uēdicans dignitatem, Apoſtolū ſe Chriſti titulo prænotauit: ut ex ipſa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes, qui in Chriſto crederent, debere ſibi eſſe ſubiectos.* *Apoſtolus* *Apoſtolus autem, hoc eſt miſſus, Hebræorum propriè uocabulum eſt, quod ſilas quoque ſonat: cui à mittendo, miſſóue nomen impoſitum eſt. Aiunt Hebræi, inter ipſos quoque Prophetas & ſanctos uiros eſſe quoſdam, qui & prophetæ & apoſtoli ſint: Alios uerò qui tantum prophetæ.* *Multi prophetæ & ſimul apoſtoli.* *Denique Moyſen, cui dicitur, Et ego mittam te ad Pharaonem: Et ipſe reſpondeat, Prouide alium, quem mittas:* *Exo. 3. c* *Et Eſaiam, cui loquitur Deus, Quem mittam, & quis ibit ad populum iſtum? eſſe & apoſtolos & prophetas.* *Eſa. 6* *Vnde & nos poſſumus intelligere, Ioannem quoq; Baptiſtam & prophetam, & apoſtolum appellandum. Si quidem ait ſcriptura, Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* *Ioan. 1.* *Et in Epiſtola ad Hebræos: propterea*

Paulum ſolita conſuetudine nec nomen ſuum, nec apoſtoli uocabulum præpoſuiße, quia de Chriſto erat dicturus: Habentes ergo principem ſacerdotum, & apoſtolum confeßionis noſtræ IESVM: nec fuiße congruum, ut ubi Chriſtus apoſtolus dicendus erat, ibi etiã Paulus apoſtolus poneretur. Quatuor autem genera apoſtolorum ſunt. Vnum, quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & deum patrem. Aliud, quod à deo quidẽ eſt, ſed per hominem. Tertium, quod ab hoĩe, & non à deo. Quartũ, quod neque à deo, neque per hominem, ſed à ſemetipſo. De primo genere poteſt eſſe Eſaias & cæteri prophetæ, Et ipſe apoſtolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, ſed à deo patre, & Chriſto miſſus eſt. De ſecundo, Ieſus filius Naue, qui à deo quidem eſt apoſtolus conſtitutus, Sed per hominem Moyſen. Tertium genus eſt, cùm hominum fauore & ſtudio aliquis ordinatur, ut nunc uidemus plurimos non dei iudicio, ſed redempto fauore uulgi, in ſacerdotium ſubrogari. Quartum eſt pſeudophetarum, & pſeudoapoſtolorum: De quibus apoſtolus, iſtiuſmodi, inquit, pſeudoapoſtoli, operarij iniquitatis, transfigurãtes ſe in apoſtolos Chriſti qui dicunt, hæc dicit dominus, & dominus non miſit eos.

*Inaudita hactenus ratio, cur Paulus ad Hebr. ſcribẽs, et nomen & dignitatẽ tacuit.*

*Heb. 3.*

*Apoſtolorũ genera quatuor.*

*2. Cor. 11*

Non ab hominibus, neque per hominem. Non ſuperbè, ut quidam putant, ſed neceßariè, neque ab hominibus, neque per hominem, ſe apoſtolũ eſſe proponit, ſed per Ieſum Chriſtum, & deum patrem: ut eos, qui Paulum extra duodecim apoſtolos uentilabant, & neſcio unde ſubitò prorupiſſe, uel à maioribus ordinatum, hac auctoritate cõfunderet. Poteſt autem & obliquè in Petrum, & in cæteros dictum accipi: quòd non ab apoſtolis ei ſit traditum

*euangelium, ſed ab ipſo Ieſu Chriſto, qui & illos apoſtolos elegerat. Hoc autem totum ideo præparatur, ut nemo ſibi contra legis onera pro euangelij gratia diſputanti poſſet opponere, Sed Petrus hoc dixit, ſed apoſtoli hoc ſtatuerunt, ſed præceſſores tui aliud decreuerunt: quod quidem in ſequentibus, nũc quaſi occulto ſermone prædudẽs; manifeſtius facit, dum ab eis qui uidentur eſſe aliquid, nihil in ſe collatum refert: & ipſi Petro in faciem reſtitiſſe ſe ſcribit, nulla dicens neceſſitate compulſum, ut hypocriſi cederet Iudæorum. Quòd ſi temerarium quibuſdam uidetur, eum contra apoſtolos, quanuis occultè, locutum, qui hieroſolymã idcirco perrexit, ut cum eis conferret euãgeliũ, ne forte in uacuũ curreret, aut cucurriſſet, Sequitur.*

Sed per Ieſum Chriſtum, & deum patrẽ, qui ſuſcitauit eum à mortuis. *Quia enim & filij & patris una eſt operatio: Et ut ſcias quia deus eſt Chriſtus, à quo ille eſt factus apoſtolus: diligẽter aduerte, quòd ante nominauerit filiũ quã patrem contra calumnias Arrianorum. Illud uerò quod addidit, qui ſuſcitauit eũ à mortuis, ſecundũ hoc creditur ſuſcitatus, ſecundũ quod mori potuit, ſola ſcilicet carne.*

Et qui mecũ ſunt oẽs fratres; eccleſijs Galatiæ. *In alijs epiſtolis Soſthenes & Siluanus, interdũ & Timotheus in exordio præponũtur. In hac tantũ, quia neceſſaria erat auctoritas plurimorũ, oĩm fratrũ nomẽ adſumitũr, qui & ipſi forſitã ex circũciſione erãt, & à Galatis non contẽptui ducebantur. Plurimũ quippe facit ad populum corrigendum multorum in una re ſententia, atque cõſenſus. Poſtquã. n. auctoritatẽ ſuã cõmẽdauit, hos addit, ut oẽs cõmotos aduerſus eos oſtenderet, quanuis ſufficeret au*

*Cur ſecũ alios iungat in ſalutatione*

*ctoritas eius, nec poſſet refutari. Tamen ut graue factum illorum oſtendat, quo à prima fide deſtiterant, multos ſecum accenſos ad errorem illorum arguendum deſignat. Facile enim poterit quis intelligere errare ſe, ſi ſe à multis uideat reprehendi. Quòd autem ait, Eccleſijs Galatiæ, & hoc notandum, quia hic tantum generaliter, non ad unam Eccleſiam unius urbis, ſed ad totius prouinciæ ſcribebat eccleſias. Et eccleſias uocat, quas poſteà errore arguit deprauatas. Ex quo noſcẽdum dupliciter eccleſiam poſſe dici, & eam, quæ non habeat maculam, aut rugam, & uerè corpus Christi ſit: & eam, quæ in Christi nomine abſque plenis perfectiſque uirtutibus congregetur.*

Duplex eccleſia.

Gratia vobis & pax à deo patre & domino Ieſu Chriſto. *Gratia dei eſt, qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur deo. Pax autem, qua reconciliamur deo, non, ut in cæteris epiſtolis, Dei patris & domini noſtri Ieſu* CHRISTI *gratiam ponit, & pacem, per quas abſque operum merito & peccata nobis conceſſa ſunt priſtina, & pax indulta poſt ueniam: ſed prudenter iam cauſam agit aduerſum eos, qui fuerant à lege præuẽti, & putabant ſe poſſe ex operibus iuſtificari, ut ſcirent ſe ſaluos gratia, & in eo perſeuerare debere, quod cœperant.*

Gratia.

Pax.

Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt nos eriperet de præſenti ſeculo maligno.

*Neque filius ſe dedit pro peccatis noſtris abſque uoluntate patris, neque pater tradidit filium ſine filij uoluntate. Sed hæc eſt uoluntas filij, uoluntatem patris implere, Vt ipſe loquitur in Pſalmo: Vt facerem uoluntatem tuam deus meus uolui. Apertè oſtendit nihil prodeſſe legem, quando Chriſtum dicit obtuliſſe ſe, ut pro nobis pateretur, ut*

Pſal. 39

*nos iuſtificaret,quos lex reos tenebat: ut eruti à lege per fidem Chriſti,iam non peccatores eſſemus, ſed iuſtificati ſecunda natiuitate filij dei appellati.Seculum præſens malignum propter malignos homines, qui in illo ſunt intelligendum eſt: ſicut dicimus malignam domum propter malignos ihabitantes in ea:non tamen ſeculũ ipſum,quod die & nocte,annis currit & menſibus,appellari malum,ſed ea quæ in ſeculo fiunt.Quomõ ſufficere dicitur diei malitia ſua* Et dies *Iacob parui ſcribuntur & mali:* Nõ *quòd ſpatium temporis,in quo uixit Iacob, malum fuerit, ſed quòd ea quæ ſuſtinuit per uaria eum exercuerũt temperamẽta.* **Seculum malignũ** Matth.6. Gene.47.

Secundum voluntatem dei & patris noſtri, cui eſt gloria. *Quantò igitur magis homines non debent arroganter ad ſeipſos referre, ſi quid operantur boni, quando & ipſe* Dei *filius in euangelio non gloriam ſuam ſe quærere dixit, neque uoluntatem ſuam ueniſſe facere,ſed uoluntatem eius, qui eum miſit.Quam uoluntatẽ, gloriamque patris,nũc commemorauit apoſtolus,ut ipſe quoque domini exemplo,à quo miſſus eſt, non ſe quærere gloriam ſuam ſignificaret, nec facere uoluntatem ſuam in prædicatione euangelij,ſicut paulòpoſt dicit:Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vt firmum ſit & plenum auctoritate quod dicit, quia Chriſtus nos liberauit,addidit quia iſtud cum patris fecerit uoluntate.* **A maiori cõtra arrogantes** Io.8.et 6.

In ſecula ſeculorum. *Infinitis beneficijs,infinita gloria debetur.*

Amen. *Prologum ſuum* Hebræo *ſermone cõcludit, Amen.Septuaginta tranſtulerunt* γένοιτο,*fiat. Aquila* πεπιστωμένως.*Nos uerò,uerè,ſiue fideliter,interpretari poſſumus:quod etiam in euangelio à ſaluatore ſemper aſſu* Amo.1.

*mitur,ſua per Amen uerba confirmante.*

Miror quod tã cito transferimini ab eo,qui vos vocauit in gloriam Chriſti, in aliud euangelium quod non eſt aliud. *Enumeratis beneficijs mirari ſe dicit Apoſtolus,quòd ab euangelij libertate potuerint ſolis uerbis retrahi in legis ſeruitutem , à quo nullis tormẽtis debuerint ſeparari. Euangelium enim ſi aliud eſt præter id, quod ſiue per ſe , ſiue per aliquem dominus dedit, iam nec euangelium dici poteſt. Vigilanter autem,cùm dixiſſet transferimini ab eo , qui uos uocauit in gloriam Chriſti,quam uolebant illi euacuare ; quaſi fruſtra uenerit Chriſtus,ſi adhuc tenenda erat circuncifio carnis,atque huiuſmodi legis opera tantum ualebant ,ut per illam homines ſalui fierent: Addidit,*

Niſi ſunt aliqui,qui vos conturbãt,& volunt cõuertere euangeliũ Chriſti. *Volunt,inquit, euangeliũ Chriſti mutare,conuertere,turbare: ſed non ualent , quia huius naturæ eſt,ut non poſſit aliud eße, quàm quod uerũ eſt.Non quemadmodum iſtos conturbant, ita etiam conuertere poßunt euangeliũ Chriſti,quia manet firmiſſimũ: ſed tamen conuertere uolũt, quia ab ſpiritualibus ad carnalia reuocant intentionem credentium. Illis enim ad iſta conuerſis, manet euangelium non conuerſum. Et ideò cũ dixißet conturbantes uos, non dixit & conuertentes : ſed uolentes,inquit, conuertere euangeliũ Chriſti.*

*Sic plerique hodie euãgeliũ cõuertũt*

Sed licet nos,aut angelus de cœlo euãgelizet vobis,præterquã quod euãgelizauim⁹ vobis, anathema ſit. *Veritas ꝓpter ſeipſam diligẽda eſt, nõ propter hominẽ,aut propter angelum, per quẽ adnuntiatur. Qui enim propter adnuntiatores eam diligit,põt & men*

*Veritas propter ſe,nõ pro*

*daeia diligere, ſi qua fortè ipſi ſua protulerit. Propterea aũt ſibi, qui aliud in Iudæa facere, aliud docere in Gẽtibus criminabatur: & angelo, quem maiorem etiam præceſſoribus ſuis apoſtolis eſſe conteſtabatur, anathema denunciauit, ut non magna Petri & Ioannis putaretur auctoritas: Cum nec ſibi liceret, qui eos ante docuerat: nec angelo aliter prædicare, quàm ſemel didicerant. Sic itaque, & angelum nominatim poſuit: Alios uero abſque nomine, Si quis inquit, uobis euangelizauerit: ut in generali uocabulo nec præceſſoribus faceret iniuriam, & tamen nomina eorũ latenter oſtẽderet. Nemo miretur apoſtolum, qui feritatem morum manſuetabat, ſic eſſe commotum. Pro Galatarũ enim ſalute indignatur aduerſus inimicos diſciplinæ Chriſtianæ. Indignatio enim hæc oſtendit, nõ leue peccatum eſſe, poſt acceptam fidem conuerti ad legem. Nam tam firmum, & uerum euangelium, quod eis prædicauerat, aſſerit, ut etiam ſeipſos, id eſt apoſtolos (ſi immutati fortè aliter prædicarent) non audiri doceret: quorum utique fama, quòd eſſent apoſtoli Chriſti, peragrauerat omnem locum: Aut ſi fortè diabolus angelum dei fingens, ut facilè poſſit audiri; de cœlis appareret contra hæc prædicans, ſciretur eſſe contrarius, & abominatio haberetur. Si ergo apoſtolos Chriſti, quorũ tam præclara opinio in ſignis, & prodigijs erat faciendis, & angelum de cœlo, quem poſſit ſpiritalis ratio commendare, aliter docẽtes, quam ab apoſtolo Paulo docti erant, anathematizari præcipit, quãtò magis quos nullũ teſtimonium ad ſeducendũ poteſt cõmẽdare? Ideò aũt iterat cõteſtationẽ, ut cõfirmet eos in priſtina traditiõe. Iterata n. lex ſollicitiores reddit negligẽtes.*

**pter nũti um diligẽda.**

**Firmitas euangelij**

Sicut enim prædiximus; & nunc iterum dico:

Si quis vobis euangelizauerit pręterquā quod accepiſtis, anathema ſit. *Aut præſens hoc prædixerat, aut quia iterauerit quod dixit, propterea uoluit dicere, ſicut prædiximus: Tamen ipſa iteratio ſaluberrimè intentionē mouet ad firmitatem retinendi eam, quæ ſic commendatur, fidem. Poteſt & hyperbolicè dictum accipi: nō quò aut Apoſtolus, aut angelus aliter potuerit prædicare, quàm ſemel dixerint: ſed etiam ſi hoc poſſet fieri, ut & Apoſtolus, & Angeli mutarentur, tamen non eſſe ab eo, quod ſemel acceptum fuerat, recedendum. Facit autem hoc, non contra ſolos Galatas, ſed & contra omnes hæreticos, qui traditiones apoſtolicas mutare conantur.*

Modo enim hominibus ſuadeo, an deo? an quęro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. *Nemo Deo ſuadet, quia manifeſta ſunt illi omnia, ſed hominibus. Ille bene ſuadet, qui non ſe illis placere uult, ſed ipſam, quam ſuadet ueritatem. Qui enim placet hominibus, non ab ipſis ſuam gloriam quærens, ſed dei, ut ſalui fiant, non iam hominibus, ſed deo placet. Aut certè iam cum & Deo placet, ſimul & hominibus, non utique hominibus placet. Aliud eſt enim placere hominibus, aliud & deo & hominibus. Non putemus ab apoſtolo nos doceri, ut exemplo ſuo hominum iudicia contemnamus, qui in alio loco dixit, Scientes ergo timorem domini hominibus ſuademus, deo autem manifeſti ſumus. Et illud, Sine offenſione eſtote, Iudæis, & Gentibus, & eccleſiæ dei, ſicut ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalui fiant. Si enim fieri poteſt, ut pariter & deo & hominibus placeamus, placendum eſt & hominibus. Sin autem ali*

*Deo ꝑpri mis, ſcdō et hoibus ſi citra illius offenſam fiat, placendū*

2. Cor. 5.

1. Cor. 10.

*ter nõ placemus hominibus,niſi deo diſpliceamus: deo magis quàm hominibus placere debemus. Alioqui & ipſe infert:Cur omnibus per omnia placeat,non quærens,inquiens,quod mihi utile eſt,ſed quod multis,ut ſaluentur. Qui autem ex ea charitate,quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliena,placet hominibus,ut ſaluentur,utique deo primùm placet,cui ſalus hominum chara eſt. Habet autem & uerbum,quod hic ſpecialiter additum eſt,modò, uel placẽdum eſſe pro tempore hominibus, uel diſplicendum,ut qui modò non placet propter euangelij ueritatem, placuerit quondam ob ſalutem plurimorum. Placuerat Paulus aliquando Iudæis, cum æmulator exiſtens paternarum traditionum ſine querela in lege uerſatus eſt,& tantum habuit in maiorum ceremonijs ardoris,& fidei,ut in Stephani nece particeps fuerit,& Damaſcum perrexerit ad eos, qui à lege deſciuerant, uinciendos. Sed poſtquam in uas electionis de perſecutore translatus eſt, & cœpit prædicare fidem,quam quondam expugnauerat, cœpit pariter diſplicere Iudæis, quibus ante placuerat. Hoc eſt ergo quod ait:Nunquid quæro Iudæis placere, quibus, diſplicẽdo deo,placui? Si enim illis placerem,adhuc Chriſti ſeruus non eſſem. Adſererem quippe legem, & euangelij gratiã deſtruerem:nũc autem propterea ne in ſimulationem quidem obſeruandæ legis adducor, quia non queo & deo placere,pariter & Iudæis: quibus quicunque placet,deo diſplicet.*

**Cur modò hic additum.**

**Act. 8. 9.**

Notum enim vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud,neque didici, ſed per reuelationem

Ieſu Chriſti Nunc principium epiſtolæ aperit. Ipſum enim ſenſum uult manifeſtare, quia nō ea quæ docebat ab homine didicerat, ut fortè dubitaretur de his quæ docebat: neque ſecundum humanum iudicium apta erat eius prædicatio, ut indigna diuina auctoritate uideretur, ſed à Dei filio dicit ſe didiciſſe per reuelationem, cum iam poſt reſurrectionē eſſet ī cœlis, ſicut ſupra memorauit, & ea quæ didicit conuenire uoluntati, maieſtatique eius, à quo ſe didiciſſe teſtatur. Euangelium, quod ſecundum hominē eſt, mendacium eſt. Omnis enim homo mendax: quia quicquid ueritatis inuenitur in homine, non eſt ab homine, ſed à deo per hominem. Ideò iam quod ſecundum hominem eſt, nec euangelium dicendum eſt: quale illi afferebant, qui in ſeruitutem ex libertate adtrahebant eos, quos deus ex ſeruitute in libertatem uocabat. Inter accipere autem & diſcere hoc intereſt: Quòd accipit euāgelium, cui primùm inſinuatur, & qui ad fidem eius adducitur, ut credat uera eſſe, quæ ſcripta ſunt. Diſcit autē is, qui ea quæ in illo per enigmata & parabolas figurata ſunt, explanata & diſſerta cognoſcit: Et cognoſcit, non homine reuelante, ſed Chriſto. Poteſt, ſicut in principio diximus, cùm exponeremus Paulus apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, Ita & in præſenti loco obliquè in petrum accipi, & in cæteros præceſſores eius, quòd nullius pro lege auctoritate moueatur, qui Chriſtum ſolum euangelij habeat præceptorem. Porrò reuelationem illam ſignificat, cùm Damaſcum uadens in itinere Chriſti uocē audiuit, Saule, quid me perſequeris? Et cæcatus oculis uerum lumen mundi intuitus eſt.

Pſal. 115.
Roma. 3
Quid ſit accipere euāgeliū quid diſcere.
Actu. 9

Audiſtis enim conuerſationem meam aliquan-

do in Iudaiſmo, quoniam ſupramodũ perſeque bar eccleſiam dei,& expugnabam illam,& profi ciebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens pa ternarum mearum traditionum. *Propoſitum ſuum, quo priùs iuxta carnem uigebat repugnans eccleſiæ; breuiter memorat: ſed, ut famulus Chriſti eſſet, hunc ſe reliquiſſe. magis enim ſe deuotum, quàm illos, in uindicanda lege fuiße deſignat. Non tamen propter hominum fauorem, ſed hoc putans utile apud deum. Per ignorantiam enim cùm hũanitati placeret, deo ſe ſeruire putabat, liberam habens conſcientiam. Neſciebat enim iã tempus adſerendæ legis non eſſe. Quapropter doctrinã ſecutus patrũ Iudæorũ, aut in errore, aut i maleuolentia cõſtitutorũ, oĩ induſtria & feruore mentis id agebat, ut cæteris coæqualibus ſibi æmulatione legis præſtantior uideretur: ſic inſaniens contra diſciplinam Chriſti, ut nulli hominum parceret, ſidei fœdera adſecuto. Sed cùm reuelatione dei laborem hunc inanem eſſe didiciſſet, & magis contrarium, deſtitiſſe ab eo, & ſe fidei gratiæ deſtinaſſe, ut profectus ei eßet apud deum. Si ergo hic qui Iſrahelita eſt, & qui dignitate doctoris fultus erat apud Iudæos, eruditus à Gamaliele uiro prudentiſſimo, locum habens cum optimis uita hominibus, reliquit legem: quantò magis ij, qui extra legem erant, legi ſe ſubijcere non debuerãt? Et ſi hic gaudet exiſſe ſe de ſub iugo ſeruitutis, quid eſt, ut hi libertatem ſuam obligauerint uinculis legis? Plurimum prodeſt Galatis iſta narratio, quõ Paululus uaſtator quondam eccleſiæ & Iudaiſmi acerrimus defenſor, ad Chriſti fidem repente conuerſus ſit. Et hoc eo tempore, quo crucifixus*

*De uita & intentiõe Pauli ante cõuerſionẽ.*

*primùm adnuntiabatur in mundo, quo nouum dogma, et à Gentibus, & à Iudæis, totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant, Si ille qui à parua ætate phariſæorũ inſtitutus eſt diſciplinis, qui omnes Coætaneos ſuos in Iudaicis traditione ſuperabat, Nunc defendit eccleſiam, quã quondã ualidiſſimè perſequebatur, & magis Christi gratiam & nouitatem uult habere cum inuidia omnium, quã uetuſtatem legis cum laude multorum: Quid nos facere oportet, qui ex gẽtilitate eſſe cœpimus christiani? Pulchrè uero adiunxit, Supramodum perſequebar eccleſiam Dei: ut hinc quoque admiratio naſceretur, quòd non unus quicunque de his, qui leuiter perſequebantur eccleſiam, ſed ille, qui cæteros in perſecutione uincebat, conuerſus ad fidẽ ſit: & prudenter dum aliud narrat, interſerit, non tã dei ſe ſeruiſſe legi, quàm paternis, id eſt, phariſæorum traditionibus, qui docent doctrinas, mandata hominũ, & reijciunt legem dei, ut ſtatuant traditiones ſuas. Quàm elegãs autem obſeruatio, ponduſque uerborum,*

Audiſtis, inquit, conuerſationem meam aliquãdo in Iudaiſmo. *Conuerſationẽ, non per gratiam: ut oſtendat non potuiſſe ſe inde humano conſilio, niſi diuina reuelatione & miſericordia, ſeparari. Aliquando, nõ modò In Iudaiſmo, non in lege dei. Quoniam ſupramodum perſequebar eccleſiam dei, & deuaſtabam illam. Non perſequebar ut cæteri, ſed ſupramodum. Nec ſufficiebat quãuis uehemens perſecutio, ſed quaſi quidam graſſator eccleſiam & prædo uaſtabam. Nec ait eccleſiam Chriſti, ut tunc putabat, quam ducebat contemptui, quam perſequebatur: ſed, ut nunc credit, eccleſiam dei: uel ipſum Chriſtũ deum eſſe ſignificans, uel eiuſdem dei eſſe eccleſiam, qui*

*quondam legis doctor fuit.*

Et proficiebam, inquit, in Iudaiſmo ſupra multos coętaneos in genere meo, abundantius æmulator exiſtēs paternarum mearum traditionum. *Rurſum profectum, non legis dei, ſed Iudaiſmi uocat: nec ſuper omnes, ſed ſuper plurimos: nec ſuper ſenes, ſed ſuper coætaneos: ut & ſtudium ſuum referret in lege, & iactantiam declinaret. Paternas autem traditiones, non domini mandata commemorans, & phariſæum ex phariſæis indicauit, & habuiſſe quidem zelum dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Vſque hodie autem, qui iudaico ſenſu ſcripturas intelligunt, perſequuntur eccleſiam Chriſti, & depopulantur illam, non ſtudio legis dei, ſed traditionibus hominum deprauati.*

Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filiū ſuum in me, vt euāgelizem illum in Gentibus. *Segregatur quodammodo de uentre matris, quiſquis à carnalium parentum conſuetudine cæca ſeparatur. Vel etiam in præſcientia ab utero ſegregauit, quando uoluit & fecit quod ſciebat eſſe futurum. Poteſt & non inconuenienter uterus matris ſuæ intelligi ſynagoga.*

Continuo non adquieui carni & ſanguini. *Adquieſcit autem carni & ſanguini, quiſquis carnalibus propinquis & conſanguineis ſuis carnaliter ſuadentibus adſentitur.*

Neque veni Hieroſolymā ad anteceſſores meos apoſtolos. *Si de apoſtolis dixerat, continuo non adquieui carni & ſanguini, quid neceſſe fuerat idipſum ite-*

*rare dicendo, neque ueni Hieroſolymam ad anteceſſores meos apoſtolos, ut aliquid ab illis diſcerem? Iſte itaque ſenſus tenendus eſt, quem ſupra expoſuimus.*

Sed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum.

*Si de Damaſco abijt in Arabiam, ut doceret quod fuerat ei reuelatum, non ſibi uidetur hiſtoriæ ordo conuenire, referente Luca in Actibus Apoſtolorum, quòd cum Paulus poſt fidem Chriſti per dies multos euangelium Damaſci loqueretur audenter, factæ fuerint ei inſidiæ; & in ſporta per murum nocte dimiſsus ſit, & uenit Hieruſalem, tentans ſe iungere diſcipulis: à quibus cùm uitaretur, & timerent ad eum accedere, à Barnaba ad apoſtolos illum eſſe perductum, & ibi narraſſe quō deum uiderit in itinere, & Damaſci fiducialiter egerit in noīe Ieſu. Erat, inquit, cum illis intrãs & exiens in Hieruſalem, & fiducialiter agens in nomine domini. Loquebatur quoque, & diſputabat cum Græcis. Illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognouiſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum. Hic autem dicit ſe primùm iſſe in Arabiam, & iterum reuerſum Damaſcum. Poſt triennium ueniſſe Hieroſolymam, uidiſſe Petrum, & cum eo manſiſſe diebus quindecim. Nec, præter Iacobum fratrem domini, alterum apoſtolum uidiſſe, quæ ut uera credantur (dubia quippe uideri abſentibus poterant) ſub teſtatione confirmat, dicēs: Quæ autem dico uobis, ecce coram deo, quia nō mentior. Poſſumus igitur æſtimare iſſe quidem Paulum ſecundum Lucæ hiſtoriam Hieroſolymam, nō quaſi ad anteceſſores apoſtolos, ut aliquid*

*Act. 9.*

*Dubium, quo uidetur Lucas ī act. his uerbis Pauli diſſentire.*

**Dilutio prior.**

*ab illis diſceret, ſed ut perſecutionis impetum declinaret, qui ſibi Damaſci propter euangelium Chriſti fuerat concitatus: & ſic ueniſſe Hieroſolymam, quaſi ad quancunque aliam ciuitatem. Vnde cum ſtatim propter inſidias receßiſſe & ueniße in Arabiam ſiue Damaſcum. Atque inde poſt triennium ad uidendum Petrum Hieroſolymam reuertiſſe. Vel certè ſtatim, ut baptizatus ſit, & accepto cibo confortatus, fuiße eum cum diſcipulis qui erant Damaſci, per dies aliquot. Et ſtupentibus cunctis in ſynagogis Iudæorum prædicaße continuò, quòd IESVS eſſet filius DEI, & tunc iſſe in Arabiam, & de Arabia Damaſcum reuertiſſe, & ibi feciſſe triennium: quos dies multos ſcriptura teſtatur, dicens. Cùm implerentur autem dies multi, conſilium fecerunt Iudæi, ut eum interficerent. Nota autem facta ſunt Saulo inſidiæ eorum, & cuſtodiebant portas nocte ac die, ut eum interficerent. Accipientes ergo diſcipuli eius nocte per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta: Cùm autem uenißet Hieroſolymam, tentabat ſe iungere diſcipulis. Lucam uero idcirco de Arabia præteriiße, quia forſitan nihil dignum apoſtolatu in Arabia perpetrarat; & ea potius compendioſa narratione dixiße, quæ digna CHRISTI euangelio uidebantur. Nec hoc ſegnitiæ apoſtoli deputandum, ſi fruſtra in Arabia fuerit, ſed quòd aliqua diſpenſatio, & DEI præceptum fuerit, ut taceret. Nam & poſteà legimus in Actis Apoſtolorum, Paulum cum Sila egreßum prohibitum eſſe à ſpiritu ſancto uerbũ i Aſia loqui. Aliter: Sed abij in Arabiam, & iterũ reuerſus ſum Damaſcũ. Quid mihi prodeſt*

Act. 9:

Act. 16

expoſitio allegorica.

*iſta relatio,ſi legam quod Paulus poſt reuelationē Chriſti ſtatim ierit in Arabiam,& de Arabia Damaſcum fuerit reuerſus: Neſcium autem quid ibi geßerit,quidúe utilitatis habuerit? Itus ac reditus dat occaſionem altioris intelligentiæ. In hac eadem epiſtola ipſe Apoſtolus de Abra*

Infra.4 *ham,& Sarra,& Agar diſputans, quæ quidem ſunt,inquit,per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta,Vnum quidem in monte Syna in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar.Syna enim mons eſt in Arabia,qui coniūctus eſt ei,quæ nunc eſt Hieruſalem. Et docet uetus teſtamentum,hoc eſt ancillæ filium,in Arabia, quæ interpretatur humilis,& Occiduo conſtitutum.Statim itaque,ut credidit Paulus,ad legem & prophetas, ad ueteris teſtamenti iam in Occiduo poſiti ſacramenta conuerſus quæſiuit in eis Chriſtum, quem iuſſus fuerat in Gentibus prædicare. Et reperto illo non eſt ibi diutius commoratus, ſed reuerſus Damaſcum,hoc eſt,ad ſanguinem,&ad paſſionē Chriſti:Et inde prophetica lectione firmatus,pergit Hieroſolymam, locum uiſionis & pacis. Non tam diſciturus aliquid ab Apoſtolis,quàm cum eis euangelium,quod docuerat, collaturus.*

Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum. *Si cū euangelizaßet Paulus in Arabia,*

Cur Paulus inuiſit Petrum. *poſteà uidit Petrū:Non ideo, ut per ipſum Petrū diſceret euangelium,qui tribus iam annis docuerat.Sed ut fraternam charitatē etiam corporali notitia cumularet. Quod ſi cui non uidetur,cum ſuperiori ſenſu iūgat hæc omnia: quód nihil ſibi apoſtoli cōtulerint, quód iußus ſit ire Hieroſolymam,ad hoc ipſe,ut uideret apoſtolum:tum intelliget eò Paulum non iuiſſe diſcendi ſtudio,qui & ipſe cun-*

*dem prædicatiõis haberet auctorem: ſed honoris priori apoſtolo deferendi.*

Et manſi apud eum diebus quindecim.

*Propterea quindecim ponit dies, ut oſtendat non fuiſſe grande tempus, quo potuerit aliquid à Petro diſcere: ut ad illum ſenſum, à quo cœpit, cuncta referat: ſe nõ ab homine doctum eſſe, ſed à deo.*

Alium autem apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem domini.

*Iacobum uidit Hieroſolymæ, quia ibi erat conſtitutus ab apoſtolis epiſcopus. Fratrem domini conſobrinum eius debemus intelligere. Negat ſe itaque præter hos quenquam apoſtolorum uidiſſe, ne occulta cõtradictio naſceretur, etiamſi à Petro non es doctus, alios habuiſti apoſtolos præceptores. Non uidit autem eos, non quò cõtemptui duceret, ſed quia illi ad euangelium prædicandum toto fuerant orbe diſperſi.*

Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

*Quod ad commendationem eius pertinet locuturus, teſtem deum dat, quia ita ſe habent, quæ dicturus eſt: ne fortè uideretur compoſitum, cùm perſonæ eius non conueniat aliquid fingere. ſed cum ſe commendat, hos uult proficere. Commendatio enim hæc iſtis proficit, ut ſciant ea, quæ ab hoc dicuntur, eſſe ueriſſima: qui dicit, ecce coram deo, non mentior. Iurat utique: Et quid ſanctius hac iuratione? Sed non eſt contra præceptum domini iſta iuratio, in quo ait. Sit ſermo ueſter, eſt, eſt: nõ, non. Quod autem ampliùs eſt, à malo eſt. quantùm ergo in ipſo eſt, non iurat apoſtolus. non enim appetit* Hic iurauit Paul⁹ ob credẽtiũ utilitatem. Math. 5.

C

*iurationem cupiditate, aut delectatione iurandi, quod ex malo eſt:ſed infirmitas,& icredulitas hoc exigit eorum,qui aliter non mouentur ad fidem.Hoc autem non ſolũ de his,quæ nunc ſcribit ad Galatas, poteſt accipi:ſed & generaliter de oĩbus epiſtolis, quia non ſunt falſa quæ ſcribat,& cor eius uerbaq; non diſcepent.*

Deinde veni in partes Syriȩ & Ciliciæ.

*Syria quõ interpretatur.* *Poſt Hieroſolymæ uiſionem uenit ad Syriam,quæ nobis dicitur excelſa atque ſublimis,& inde trãſijt ad ciliciam,quam in fide Chriſti cupiebat adſumere,euangelizans eis uocationem pœnitentiæ. Cilicia quippe interpretatur adſumptio,ſiue uocatio lamentabilis.*

*Cilicia.*

Eram autẽ ignotus facie eccleſijs Iudȩæ, quæ in Chriſto ſunt.

*Animaduertendum non in ſola Hieroſolyma Iudæos in Chriſto credidiſſe, nec tam paucos fuiſſe, ut eccleſijs Gentium miſcerentur: ſed etiam multos, ut ex illis eccleſiæ fierent.*

Tantum autem auditum habebant, quod qui perſequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:& in me glorificabant deum.

*Hoc dicit quia cùm Iudaiſmum defenderet, contra fidem,ſicut & ij,à quibus Galatæ fuerant euerſi, à deo electus eſt, & doctus diſſimulare à Iudaiſmo, & nouam legem prædicare. Ita ut gauderent in eo ex Iudæis credentes, quos pridem perſequebatur, Deo agentes gratias, qui de perſecutore fecit defenſorem: ut perinde ſcirent Galatæ circumuentos ſe, ut ſub nomine* CHRISTI *Iudæos ſe profiterentur,circuncidere*

tes carnem præputij ſui; cum Chriſto lex aliud impleret, quam iudaiſmus. Illic enim circunciſio carnis eſt: hic cordis. illic ſub elementis ſeruitur neomenijs, & ſabbato: hic ſoli deo in ſpiritu, quia corde creditur. Illic conditio eſt cauſa peccati, hic libertas ex remiſsione peccatorum. Multa itaque diſtantia eſt. Diſcrimē legis & euangelij.

## IN CAPVT SECVNDVM.

DEhinc poſt annos quatuordecim rurſum aſcendi Hieroſolymam, cum Barnaba adſumpto & Tito. Aſcendit igitur poſt quatuordecim annos Hieroſolymā, & qui prius ad uidendum tantum perrexerat Petrum, & diebus quindecim manſerat apud eum, nunc ſe dicit ideò perrexiſſe, ut conferret cum apoſtolis euangelium: Adſumpto Barnaba circunciſo, & Tito ex gentibus habente præputium, ut ſub ore duorum uel trium teſtium ſtaret omne uerbum. Deut. 17.

Aſcendi autem ſecundum reuelationem. Ne moueret eos, quare uel tunc aſcenderit, quò tam diu non aſcenderat: quapropter ſi ex reuelatione aſcendit, Tunc proderat ut aſcenderet: quoniam multo tempore fama eius crebreſcebat apud omnes Iudæos: facie aūt non uidebatur. Perābulabat enim fundare & roborare eccleſias ſolita conſtātia inter gētes. A Iudæis aūt cauſa legis mala illi ſiebat opinio, quaſi diſcordaret à prædicatiōe cæterorū apoſtolorū: et hic fiebat multis ſcrupulus, ita ut et gētes poſſēt perturbari,

*ne in aliud ducerentur ab eo, quàm tradebāt apoſtoli, qui cum domino fuerant.* Nam *ipſa occaſione ſubuerſi ſunt* Galatæ *à* Iudæis *dicentibus, quia aliud traderet* Paulus, *quā* Petrus. Hinc *factum eſt, ut admonitus reuelatione domini, aſcenderet* Hieroſolymam, *cum teſtibus prædicationis ſuæ, id eſt,* Barnaba *&* Tito *uno ex* Iudæo, *& altero ex gentili: ut ſi quod de eo haberent ſcandalum, horum teſtimonio tolleretur:* Aperiens *illis ſenſum prædicatiōis ſuæ, cum apoſtolis uerò ſecretò contulit, ut ſcirent non illum diſcordare à regula euangelica: hoc eſt, ne putarent in uacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut æſtimabant aliquanti ex* Iudæis *credentibus.* Nec *enim aliquid ab eis diſcere poterat: qui à deo fuerat inſtructus: ſed propter concordiam & pacem dei, notum factum eſt, ut tolleretur ſcrupulus aut ſuſpicio fratribus, aut coapoſtolis: & ut gentibus prodeſſet, cognoſcentibus quia concordabat euangeliū eius cum apoſtolis.*

Et contuli cum eis euangelium, quod prædico in Gentibus.

*Aliud cō ferre, aliud diſcere.*

Aliud *eſt autem conferre, aliud diſcere.* Inter *conferentes æqualitas eſt: inter docentem & diſcētem, minor eſt ille qui diſcit.* In *principio fidei in tranſitu apoſtolos uidit.* Poſt *annos, ut ipſe ait, decem & ſeptem, plenè cū eis loquitur, & ſe humiliat, & ne fortè in uacuum curreret, aut cucurriſſet, inquirit duplicem ob cauſam: quò & humilitas oſtenderetur* Pauli, *qui doctor in toto orbe Gētium ad præceſſores apoſtolos cucurriſſet: &* Galatæ *diſcerent, non reprobaſſe euangelium eius eos quoque, qui in* Iudæa *eccleſijs præſidebant.* Simul *autē &*

*Duplex cauſa, cur cū aliijs aplīs cōtulerit*

*illud docet, quòd pro Chriſti fide, & euanglij libertate ad eos ipſos, qui de eo plura falſò cognouerant, quòd legem infringeret, Moyſen deſtrueret, circuncſionem penitus auferret, Auſus ſit ducere Titum hominem incircũciſum, & in tantam multitudinẽ Iudæorũ, & inimicos ſuos, qui quaſi ob zelũ legis ſanguinẽ eius haurire cupiebant. Nec ipſe tamẽ nec Titus aliquo ſint terrore ſuperati neceſſitati cedere: quæ potuit habere ueniam, uel pro loco, uel pro auctoritate maiorũ, uel pro numero eccleſiarum, quæ ex Iudæis in Chriſto credebant: uel pro tempore, ne tãtam ſimul inuidiam ſuſtinerent. Totum autem quod ait illud eſt, ut doceat ſe nunquam de perſecutore apud eos ipſos, quos priùs perſecutus fuerat, potuiſſe exiſtere glorioſum, niſi prædicatio eius eorum quoque, qui ante eum malè nouerant, eſſet iudicio comprobata: & ad propoſitum occultè redit, tam breue tempus ſe in Iudæa feciſſe confirmans, ut, etiam uultu, credentibus eſſet ignotus: ex quo oſtendit, non Petrum, non Iacobum, non Ioannem ſe habuiſſe doctores: ſed Chriſtum, qui ſibi euangelium reuelaſſet. Simul autem notandum, quòd ſuprà dicit eccleſiam expugnaſſe, hic fidem: ibi homines, hic rem: ut nec opportuniùs inferretur, euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat. De eccleſia enim ſimiliter ſonare non poterat.*

Seorſum autem his qui videbantur, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.

*Quòd ſeorſum expoſuit euangelium eis qui eminebant in eccleſia, cùm iam illud expoſuiſſet coram omnibus, non ideò factum eſt, quòd aliqua falſa dixerat, ut ſeor* *Quare ſeparatim cũ maio-*

*ſum potioribus uera diceret : ſed aliqua tacuerat, quæ adhuc paruuli portare non poterant. qualibus ſe* 1.Cor.3. *ad Corinthios lac dicit dediſſe, non eſcam. Falſum enim dicere nihil licet. Poteſt autem hoc quod ait, Contuli cum eis euangelium, quod prædico in Gentibus, Seorſum autem his qui uidebantur, ne fortè in uacuum currerem, aut cucurriſſem, & ſic intelligi : quòd abſcondité cum apoſtolis Gentium euangelicæ libertatis & legis abolitæ uetuſtatem contulerit, propter multitudinem credentium Iudæorum, qui necdum potrant CHRISTVM ad impletionem & finem legis audire, qui & abſente Paulo Hieroſolymæ iuſtauerant, fruſtra eum currere, aut cucurriſſe, qui putaret legem ueterem non ſequendam. Non quò Paulus timuerit, ne per decem & ſeptem annos falſum in Gentibus euangelium prædicaſſet : ſed ut oſtenderet præceſſoribus ſuis, non ſe in uacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut putauerant ignorantes.*

Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet ex gentibus, compulſus eſt circũcidi: propter ſubintroductos autem fratres falſos, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerẽt: quibus ad horam ceſſimus ſubiectioni: vt veritas euangelij permaneat apud vos.

*Si Titus, cum eſſet ex gentibus, nullo potuit terrore cõpelli, ut circuncideretur Hieroſolymis, Iudæorũ Metropoli ciuitate: in qua tanta Paulus blaſphemiæ in Moyſen flagrabat inuidia, ut poſteà penè à Iudæis interfe-*

*ctus ſit, quando à Tribuno liberatus, & Romam uinctus ad Cæſarem mittitur: Quid eſt, ut uos circuncidamini, cùm Titus ab apoſtolis, qui uidebantur aliquid eſſe, nõ eſt compulſus circuncidi, ſed ſuſceptus eſt incircunciſus. hoc in toto ſermonis ſui contextu agit, ut doceat ſe Hebræum ex Hebræis, omnia quõdam legis opera ſeruantem, Circunciſum octaua die, ſecũdum legem phariſæum: Nihilominus tamen ob Chriſti gratiam uniuerſa contemnere. Nam cùm iſſet Hieroſolymã, & falſi fratres, qui ex circunciſione crediderant, eum uellẽt impellere, ut circunciderel Titum: Nec Titum, nec ſe ceßiſſe uiolentiæ, quominus cuſtodirent euangelij ueritatem. Quòd ſi dicit ſe neceſſitate ſuperatum, ut circunciderel Titum, quomodo Galatas reuocat à circunciſione, à qua nec Titum, qui ſecum fuerat ex gẽtibus Hieroſolymis potuit excuſare? Itaque aut iuxta græcos codices eſt legendum, quibus neq; ad horã ceſſimus ſubiectioni, ut cõſequẽter poſſit intelligi, ut ueritas euãgelij permaneat apud uos. Aut ſi latini exemplaris alicui fides placet, ſecundum ſuperiorem ſenſum accipere debemus, ut ad horam ceſſio non circuncidendi Titum, ſed eundi Hieroſolymam fuerit. Quòd ſcilicet idcirco ſubiectioni ceſſerint Paulus & Barnabas eundi Hieroſolymam, ſeditione ob legem Antiochiæ cõcitata, ut per epiſtolam Apoſtolorum ſua ſententia firmaretur, & maneret apud Galatas euangelij ueritas: quæ non eſſet in litera, ſed in ſpiritu: Non in carnali ſenſu, ſed in intelligẽtia ſpirituali: Nec in manifeſto Iudaiſmo, ſed in occulto. Quidã poſt quatuordecim annos*

Dubium.

*cum* Hieroſolymam *aſcendiſſe tunc dicunt,quando in* Actibus *apoſtolorũ de quæſtionibus obſeruãdæ uel prætermitttendæ legis intercedentes*, Antiochiæ *orta diſſenſio eſt:& placuit ire* Hieroſolymam,*& ſententiam maiorum præſtolari:quãdo ipſe quoque* Paulus *&* Barnabas *miſſi ſunt:& hoc eſſe, quod in codicibus legatur latinis,quibus ad horam ceſſimus ſubiectioni, ut ueritas euangelij perſeueraret apud uos.* Quòd *ſcilicet pro*pterea Paulus *&* Barnabas,*de re manifeſta quaſi dubia ſe mitti paſſi ſunt* Hieroſolyman,*ut maiorum quoque iudicio euangelij gratia cõfirmata credẽtibus probaretur,& nulli reſideret ultra dubitatio circunciſionis omiſſæ : cùm apoſtolorum eſſet literis imperatum,* Iugum *legis ab ijs, qui in* Chriſtum *ex gentibus crediderant,auferendum.* Sciendum *uerò,quòd autem coniunctio,quæ in præſenti loco ponitur, propter ſubintroductos autem falſos fratres,ſuperflua ſit:* Et *ſi legatur,nõ habeat quod ei reſpondeat,illamq; cõcludat.* Sed *hunc eſſe ordinem lectionis & ſenſus:* Sed *neque* Titus,*qui mecum erat,cùm eſſet ex gentibus, compulſus eſt circuncidi:ſtatimq; ſubiungat quæ cauſa fuerit,ut ad circunciſionem impelleretur inuitus : propter ſubintroductos autem fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in* Chriſto Ieſu: *ut nos in ſeruitutem redigerẽt.* Id *eſt illi qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, uehementer obſeruabant,& cupiebant circuncidi* Titum,*ut iam circunciſionem,etiam ipſius* Pauli *atteſtatione & conſenſione,tanquam ſaluti neceſſariam,prædicarent:& ſic eos in ſeruitutem redigerent,id eſt ſub onera legis ſeruilia*

*reuocarent. quibus ſe nec ad horam. id eſt nec ad tempus ceßiſſe dicit ſubiectioni. ut ueritas euangelij permaneret apud gentes. qui cum minis, terrore, multitudine uellent nos à libertate Chriſti in legis traducere ſeruitutem, nec ad tempus quidem eis ceßimus, ut circuncideremus Titum: maximè cùm & aliqua ob eccleſiaſticam pacem potuerit nos neceßitas excuſare. & hoc totum fecimus, ut uobis nulla fieret occaſio, ab euangelij gratia recedendi. Si igitur Hieroſolymis inter tantos Iudæos, imminentibus hinc inde falſis fratribus, & his, qui maiores erant, aliqua ex parte cohibentibus, nulla potuimus ui ac ratione compelli, ut obſeruaremus circuncisionem, quam ſciebamus eſſe finitam: Vos ex gẽtibus, uos in Galatia, uos, quibus uis nulla inferri poteſt, ultrò à gratia recedentes ad legis iam abolitæ tranſcendetis uetuſtatem?*

Ab his autem, qui videbantur eſſe aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus perſonam hominis non accipit.

*Licet, inquit, Petrum & Ioannem dominus ſecum apoſtolos habuerit, & transfiguratum eum in monte uiderint, & ſuper ipſos eccleſiæ ſit poſitum fundamentum, nihil mea intereſt: quia non aduerſum eos loquor, qui eo tempore dominum ſequebantur: ſed aduerſus eos, qui nũc legem præponunt gratiæ. Nec detraho præceſſoribus, nec in aliqua parte accuſo maiores: ſed hoc dico, quia deus perſonam hominis non accipit, id eſt, ſine perſonarum acceptione omnes ad ſalutem uocauit: non reputans illis delicta eorum. Et ideò abſentibus illis, qui priores facti erant apoſtoli, Paulus à domino*

**Deus perſonã hominis non accipit.**

*perfectus eſt; ut quando cum eis contulit, nihil eſſet, quod perfectioni eius adderent: ſed potiùs uiderent eundem dominum Ieſum Chriſtum, qui ſine perſonarum acceptione ſaluos facit, hoc dediſſe Paulo, ut miniſtraret gentibus, quod etiam Petro dederat, ut miniſtraret Iudæis. non ergo inuenti ſunt in aliquo diſſentire ab illo, ut cùm ille ſe perfectum euangelium, accepiſſe diceret, illi negarent, & aliquid uellent, tanquam imperfecto, addere: ſed ecōtrariò pro reprehēſoribus imperfectionis adprobatores perfectionis fuerunt: & dederunt dextras ſocietatis, id eſt, conſenſerunt in ſocietatem; & paruerunt uoluntati domini; conſentientes ut Paulus & Barnabas irent ad gentes: ipſi autem in circumciſione, quæ præputio, id eſt, gentibus contraria uidetur.*

Mihi aūt qui videbantur nihil contulerunt. *Nihil ſe dicit ab apoſtolis adſecutum, ſed à Deo. quia qui imperitis ſenſum tribuit diſciplinæ Chriſtianæ, ipſe & mihi, inquit, cùm eſſem legis peritus dignatus eſt impartire ſenſum rationis huiuſmodi. Quomodò ergo fieri poterat, ut hic ab his diſceret, quem peritum inueniens peritiorem fecit gratia CHRISTI? Ipſe ſuperiùs cum illis contulit, & multa ad eos retulit, quæ in gentibus perpetrarat. Illi nihil contulerunt ei, ſed tantummodò, quæ ab eo dicta ſunt comprobantes, dextras dedere conſortij, & unum ſuum Paulique euangelium firmauerunt.*

Sed contra, cum vidiſſent quod creditum eſt mihi euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis.

*Totum autem, quod dicit; hoc eſt: unum atque idem mihi euangelium præputij, & Petro circunciſionis cre didit. Me miſit ad gentes, illum poſuit in Iudæa. nec Gentes poterant adulta iam ætate non pro futuro circunciſionis dolore cruciari, & abſtinere ſe ab eſcis, quibus ſemper adſueuerant, & quas DEVS creauerat ad utendum: Nec hi, qui ex Iudæis crediderant, & circuncisi erant, & ex conſuetudine, quaſi ſecunda natura, putabant ſe cæteris Gentibus plus habere, facilè contemnere poterant ea, in quibus gloriabantur. Prouidentia utique DEI alius apoſtolorum circunciſis datus eſt, qui legis umbris uideretur adquieſcere: Alius in præputio conſtitutus, qui Euangelij gratiam non putaret eſſe ſeruitium, ſed liberam fidem, ne ſub aliqua occaſione impedimentum fidei naſceretur, & propter circunciſionem, ſiue præputium, non crederetur in Chriſto.*

Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatum circunciſionis; operatus eſt & mihi inter Gentes.

*Id eſt, non illi ſum inferior, quia ab uno ſumus ambo in unum miniſterium ordinati. Ex quo perſpicimus propterea dextras datas Paulo & Barnabæ à Petro, Iacobo, & Ioanne, ne in obſeruatione uaria diuerſum CHRISTI Euangelium putaretur: ſed & circunciſorum, & habentium præputium eſſet una communio; ne Gentes legis onere, & difficultate deterritæ à CHRISTI fide, & credulitate diſcederent. Occultò oritur hic quæſtio. Quid igitur?*

Quæſtio. *Petrus,ſi inueniſſet ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus,ſi ex circunciſione aliquos reperiſſet,non eos ad Chriſti baptiſmum prouocabat? quæ ita*

Solutio. *ſoluitur:ut dicamus, principale ſingulis in Iudæos & gentes fuiſſe mandatum, ut qui defendebant legem,haberent quem ſequerentur: qui legis gratiam præferebant,non deeſſet eis doctor & præuius. In commune uerò hoc eos habuiſſe propoſiti, ut Chriſto ex cunctis gẽtibus eccleſiam congregarent. Legimus enim & à ſancto Petro gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & à Paulo in ſynagogis Iudæorum Chriſtum ſæpiſſime prædicatum:ſed tamen plena auctoritas Petro in iudaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gẽtium inuenitur. Vnde & magiſtrum ſe gentium uocat in fide & ueritate. Vnuſquiſque enim pro uiribus ſuis & diſpẽſationẽ ſortitus eſt. Difficilius enim fuit,eos qui longe à deo erant, ad fidem adtrahere,& ſuadere,quàm proximos. Petrum ſolùm nominat,& ſibi comparat: quia primatum ipſe accepit ad fundãdam eccleſiam: ſe quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis Gentium eccleſijs.*

Et cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi,Petrus,& Iacobus,& Ioannes,qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis,vt nos in Gentes,ipſi autem in circunciſionem.

*Ab apoſtolis,qui clariores inter cæteros erant,quos & firmitatis cauſa columnas appellat, quiq; cum domino ſemper in ſecretis fuerant,gloriam eius digni in mon-*

*te reſpicere: ab his itaque probatum dicit donum, quod accepit à deo, ut dignus eßet habere primatum in prædicatione gentium, ſicut & habebat* Petrus *in prædicatione circumciſionis.* Et *ſicut dat* Petro *ſocios uiros egregios inter apoſtolos:* Ita *& ſibi iungit* Barnabam, *qui diuino iudicio ei adiunctus eſt: gratiam tamen primus ſibi ſoli uendicat conceſſam à deo, ſicut & ſoli* Petro *conceſſa eſt inter apoſtolos: ita ut apoſtoli circunciſionis dextras porrigerent apoſtolis gentium, ad cõcordiam ſocietatis demonſtrandam: ut utrique ſcientes perfectionis ſpiritum in diſpenſationē euangelij ſe à domino conſequutos, in nullo ſe inuicē egere oſtenderent.* Columnæ igitur *ſunt eccleſiæ apoſtoli, & maximè* Petrus, *&* Iacobus, *&* Ioannes. E *quibus duo cum domino aſcendere merentur in montem, quorũ unus in* Apocalypſi *ſaluatorem introduxit loquentem:* Qui uicerit *faciam eum columnam in templo dei mei, docens omnes credentes, qui aduerſarium uicerint, poſſe columnas eccleſiæ fieri.* Ad Timotheum *uerò* Paulus *ſcribens ait:* Vt *ſcias quomodò oporteat te in domo dei conuerſari, quæ eſt eccleſia dei uiui,* Columna *autem, & firmamentum ueritatis. his & cæteris inſtruimur, tam apoſtolos omnesq; credentes, quàm ipſam quoque eccleſiã columnã in ſcripturis appellari, & nihil intereße de corpore quid dicatur an membris, cùm & corpus diuidatur in membra, & membra ſint corporis.* Dederunt *itaque* Petrus, Iacobus, *&* Ioannes, *qui uidebantur columnæ eſſe, dextras* Paulo, *&* Barnabæ *ſocietatis.* Sed Tito, *qui cum eis erat, dextras non dederunt.* Nec *dũ quippe ad eam menſuram peruenerat, ut poßent ei* Chriſti

Math.17.

Apoca.3.

1.Timo.3.

*mercimonia ex æquo cum maioribus credi, & eundem teneret negociationis locum, quem Barnabas tenebat, & Paulus. Idcirco igitur hæc, quæ inter ſe & apoſtolos facta ſunt, manifeſtat, ut ſciant Galatæ, quia quod ab eo acceperant, hoc uerum eſt, & probatum.*

Vt nos in Gentibus, ipſi autem in circunciſionem, tantum, vt pauperum eſſemus memores, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.

*Sancti pauperes, quorum præcipuè ab apoſtolis Paulo & Barnabæ cura mandatur, ij ſunt, qui ex Iudæis credentes pretia poſſeſſionum ſuarum ad pedes apoſtolorum deferebant egentibus largienda: uel qui à contribulibus, cognatis, & parentibus ſuis quaſi deſertores legis, & in crucifixum hominem credentes, deteſtationi & piaculo ducebātur. In horum miniſterio ſanctus apoſtolus Paulus quanto labore ſudauerit epiſtolæ eius teſtes ſunt, ſcribentes ad Corinthios, ad Theſſalonicenſes, & ad omnes gentium eccleſias, ut præpararēt munus hoc per ſe, uel per alios, qui eis placuiſſent Hieroſolymam deferendum. Vnde nunc confidenter dicit, quod etiam ſollicitus fui facere hoc ipſum. Communis cura erat omnibus apoſtolis de pauperibus ſanctis, qui erant in Iudæa, qui rerum ſuarum uēditarum pretia ad pedes apoſtolorū poſuerant. Sic ergo ad gentes Paulus & Barnabas miſſi ſunt, ut eccleſiæ gentium, quæ hoc non fecerant, miniſtrarent, participantes in orationibus ipſorum, qui hoc fecerant, ſicut ad Romanos dicit.* Roma. 15 *Nunc autem pergam Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Placuit enim Macedoniæ,*

*& Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes ſanctos; qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim illis; & debitores eorum ſunt. Si enim in ſpiritalibus eorum communicauerunt Gentes, debent & carnalibus miniſtrare eis.*

Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam ab Iacobo cum Gentibus edebat. Cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe timens eos qui ex circunciſione erant: & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.

*Petrus autem cùm ueniſſet Antiochiam obiurgatus eſt à Paulo: Non quia ſeruabat conſuetudinem Iudæorum, in qua natus atque nutritus erat, quanquam apud Gentes eam non ſeruaret: ſed obiurgatus eſt, quia Gentibus eam uolebat imponere, cùm uidiſſet quoſdam ueniſſe ab Iacobo, id eſt à Iudæa. Nam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Iacobus præfuit. Timens ergo eos, qui adhuc putabant in illis obſeruationibus ſalutem eſſe conſtitutam, ſegregabat ſe à Gentibus, & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi apponẽda Gẽtibus illa onera ſeruitutis. Vnde & Paulus hac eadẽ arte, qua ille ſe ſimulabat, ei reſtitit in faciem: & loquitur coram omnibus, non tam ut Petrũ arguat, quã ut ij, quorum cauſa Petrus ſe ſimulauerat, corrigantur. Quod in ipſius obiurgatione uerbi ſatis apparet. Non eĩ ait, ſi tu cũ Iudæus ſis gẽtiliter, & nõ Iudaicè uiuis,*

*Nõ tã Petrũ à Paulo argui, quã aliorũ correctionem quæri.*

quomodò Gentes cogis iudaizare? Indiſſolubili argumento conſtringit Petrum: imò pèr Petrum eos, qui pugnabant inter ſe. Si inquit, ò Petre, tu natura Iudæus, circunciſus à parua ætate, & uniuerſa legis præcepta cuſtodiens, nunc ob gratiam Chriſti ſcis ea nihil per ſe habere utilitatis, ſed exemplaria eſſe, & imagines futurorum, & cum his, qui ex Gẽtibus ſunt, cibum capis, nequaquam ut ante ſuperſtitioſè, ſed liberè & indifferenter uictitans, quomodò eos, qui ex Gentibus crediderunt, nunc recedens ab eis, & quaſi à contaminatis te ſeparans & ſecernens, compellis iudaizare? Hoc totum idcirco ait, non tam ut Petrum arguat, ſicut iam dixi, quàm ut ij quorum cauſa Petrus ſe ſimulauerant, corrigantur. Si enim immundi ſunt, à quibus recedis, idcirco recedis quia non habent circunciſionem: Compellis eos ergo circuncidi, & Iudæos fieri, cùm tu ipſe natus Iudæus Gentiliter uixeris. Et latenter oſtendit cauſam, quare aduerſum eum diſputauerit: quia ſcilicet Gentes ſimulatione ſua iudaizare compelleret, dum eum cupiunt æmulari. Quòd autem hoc ei coram omnibus dixit, neceſſitas coegit: ut omnes illius obiurgatione ſanarentur. Non enim utile erat errorem, qui palàm noceret, in ſecreto emendare. huc accedit, quòd infirmitas & charitas Petri, cui ter à domino dictum eſt, amas me? Paſce oues meas, obiurgationem talem poſterioris paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinet. Sed dicet aliquis: Quare Paulum in facie reſtiterit Petro, & eum reprehenſibilem indicauit, cùm & ipſe factus ſit Iudæis Iudæus? Compatiendo enim id fecit, non mentiendo. Fit enim quiſque tanquam cui uult ſubuenire,

*Cur palã reprehendit.*

*Dubium.*

*quando tanta miſericordia ſuccurrit alteri, quanta ſubueniri ſibi uellet, ſi eßet ipſe in eadem miſeria conſtitutus. Itaque fit tāquam ille, non quia fallit eum, ſed quia ſe cogitat ſicut illum. Vnde illud eſt apoſtoli. Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpiritales eſtis inſtruite huiuſmodi in ſpiritu manſuetudinis; conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Nam ſi propterea quia dixit factus ſum iudæis tanquā Iudæus: & ijs qui ſub lege erant tanquam ſub lege eſſem, Ideò putandus mendaciter ſuſcepiße legis ueteris ſacramenta, quando caput totondit in Chencris, & facto caluitio oblationem obtulit in Hieruſalem, & Timotheum circuncidit, & nudipedalia exercuit, quæ utique manifeſtiſſimè de ceremonijs Iudæorum ſunt: debuit & Gentium idolatriam eodem modo mentiendo ſuſcipere, qui dixit, etiam his qui ſine lege erant, tanquā ſine lege ſe factum, ut eos lucri faceret: quod utique nō fecit. Nō enim alicubi ſacrificauit idolis, aut adorauit illa figmenta, ac non potius liberè, tanquam martyr Chriſti, deteſtanda & uitanda monſtrauit. Id autem quod ipſe Paulus apoſtolus fecit, ut quaſdam obſeruationes legitimas iudaica conſuetudine retinendo, & agendo in ſe, non ſe inimicum legi prophetiſque monſtraret, abſit ut mendaciter eum feciſſe credamus. De hac quippe re ſatis eſt eius nota ſententia, qua fuerat conſtitutum, nec Iudæos, qui tunc in Chriſtum credebant, prohibendos eße à paternis traditionibus, nec ad eas gentiles, cùm chriſtiani fierent, eſſe cogendos: ut illa ſacramēta, quæ diuinitus præcepta eſſe conſtaret, nō tanquam ſacrilega fugerentur. nec tamen putarentur*

*Infra. 6.*

D

*ſic neceſſaria iam nouo teſtamento reuelato, tanquam ſine his quicunque conuerterentur ad deum ſalui eſſe non poſſent. Erant autem qui hoc putabant, atque prædicabant, quanuis iam recepto Chriſti euangelio: & eis ſimulatè conſenſerant Petrus & Barnabas. Ideoque cogebant gentes iudaizare. Id erat enim cogere, ſic ea neceſſaria prædicare, tanquam & recepto euangelio nulla ſine illis ſalus eſſet in Chriſto. Hoc error quorundam putabat, hoc timor Petri ſimulabat, hoc libertas Pauli redarguebat. Galatarum infirmitas compulit eum narrare, quòd nec ipſi Petro pepercerit ueritatem euangelij non liberè defendenti, ſicut ad profectum Corinthiorũ manifeſtauit uiſionem, quã annis quatuordecim occultauerat. hoc autem totum agit, ut oſtendat ſe nunquam circunciſionis fuiſſe fautorem, ſicut de illo pſeudoapoſtoli iactabant. Sunt uerò nonnulli, qui non Petrum apoſtolorum principem, ſed quendam alium eo nomine, qui à Paulo eſt reprehenſus, accipiunt: qui ſi Pauli apoſtoli ſtudioſiùs uerba legiſſent, iſta non dicerent. Dicturus etenim Paulus, cùm ueniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti: ut de quo Petro loqueretur oſtenderet; in ipſo ſuæ narrationis initio præmiſit dicens: Creditum eſt mihi euangelium præputij, ſicut Petro circunciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. Patet ergo, de quo Petro Paulus loquitur, quem & apoſtolum nominat, & præfuiſſe euangelio circunciſionis narrat. Et fuerunt quidam, qui ſecũdam Petri epiſtolã, in qua epiſtolæ Pauli laudatæ ſunt, eius dicerent nõ fuiſſe. Sed ſi eiuſdẽ epiſto*

In eos, qui hic Petri noĩe aliũ quẽpiam intelligũt

Secũdam Petri Canonicã uerè ab eo

*læ uerba pẽſare uoluiſſent, lõgè aliter ſentire poterãt: In ea quippe ſcriptũ eſt: uoce delapſa ad eũ huiuſcemodi à magnifica gloria. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Atq; ſubiũgit. Et hãc uocẽ nos audiuimus, cũ eſſemus cũ ipſo in mõte ſctõ. Legãt itaq; euangeliũ, et protinus agnoſcẽt, quia cũ uox iſta de cœlo uenit Petrus apoſto. in mõte cũ domĩo ſtetit. Ipſe ergo hãc epiſtolã ſcripſit, qui hãc uocẽ ĩ mõte cũ domĩo audiuit* ſcriptam eſſe. 2. Petri. 1.

Nos natura Iudęi, & nõ ex Gẽtibus pctõres.

*Peccatorum autem nomen Gentibus impoſuerunt Iudæi, iam uetuſta quadam ſupperbia, tanquam ipſi iuſti eſſent, uidendo ſtipulam in oculo alieno, & non trabem in ſuo. Secundum eorum morem locutus apoſtolus ait: Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, id eſt, quos appellant peccatores, cùm ſint & ipſi peccatores. Nos ergo, inquit, natura Iudæi cũ gentiles eſſemus, nõ quos ipſi pctõres appellãt, tamẽ & nos pctõres, In Chriſto Ieſu credidimus, ut iuſtificemur per fidem Chriſti. Nõ aũt quærerẽt iuſtificari, niſi eſſent pctõres.*

Sciẽtes aũt quod non iuſtificatur hõ ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto Ieſu credidimus: vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.

*Credimus ĩ Chriſtũ, ut quod lex nobis nõ dederat, fides tribueret, quã habemus ĩ Chriſto. Quòd ſi recedẽtes à lege, in qua ſaluari nõ potuimus, tranſcẽdimus ad fidẽ ĩ qua nõ carnis quæritur circũciſio, ſed cordis pura deuotio, & nunc à gentibus recedendo hoc agimus, ut quicunque non eſt circunciſus immundus ſit: Ergo fides in CHRISTVM, in qua nos putabamus ãte ſaluari,*

*peccati eſt miniſtra, quàm iuſtitiæ, quæ aufert circunciſionem, quã qui non habuerit immundus eſt. ſed abſit ut quod ſemel deſtruxi, & noui mihi non profuiſſe, rurſum uindicem. Semel à lege diſcedẽs legi ſum mortuus, ut in Chriſto uiuerem. Crucique eius adfixus, & in nouum renatus hominem fide magis, quàm carne ſubſiſterem, & cum Chriſto egrederer è mundo, quod ſemel adorſus ſum teneo. non mihi gratis Chriſtus eſt mortuus, in quem fruſtra credidi, ſi potui abſque fide eius in ueteri lege ſaluari.*

Propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.

*Iuſtificabatur quondam ex lege, nõ omnis caro, ſed tãtum ij homines, qui in paleſtina prouincia erant.* Nunc *autem ex fide Ieſu Chriſti iuſtificatur omnis caro, dũ eccleſiæ eius in toto orbe fundãtur. Poteſt autẽ & per opera legis non inconuenienter circunciſio, ſabbatum, dies feſti, baptiſmata, feſta temporum, azima panum, & cætera, quæ in ſacramento, non propter iuſtitiam, ſed occupandi populi gratia, & ad domandam duritiam ſunt data, intelligi.*

Quod ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuẽ uenti ſumus & ipſi peccatores.

*Non autem quærerent iuſtificari, niſi eſſent peccatores. An forte, quia in Chriſto uoluerunt iuſtificari, peccauerunt? Quia ſi iam iuſti erant, aliud quærendo utique peccauerunt. Sed ita eſt, inquit, ergo Chriſtus peccati miniſter eſt. Quod utique non poſſunt dicere, quia & ipſi, qui nolebant niſi circunciſis Gentibus tradere euangelium, in Chriſtum crediderant, & ideò quod di*

*cit;abſit,non ſolus,ſed cum ipſis dicit.Deſtruxit autem ſuperbiam gloriantem de operibus legis,quæ deſtrui et deberet & poſſet.ne gratia fidei uideretur non neceſſaria;ſi opera legis,etiam ſine illa,iuſtificare crederentur:& ideò præuaricator eſt,ſi rurſus illa ædificat,dicens,quòd opera legis etiam ſine gratia iuſtificant,ut Chriſtus peccati miniſter inueniatur.*

Nūquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. *Si enim gentes fides ſola non ſaluat, nec nos: quia ex operibus legis nemo iuſtificabitur. Ergo adhuc & nos peccatores ſumus,& Chriſtus peccati miniſter eſt, tanquam non ualens peccata donare:ſicut & lex,quæ per* Moyſen *data eſt,quæ tantum peccata oſtendit,non abſtulit.*

Si enim quæ deſtruxi hæc iterum ædifico, præuaricatorem me conſtituo.

*Quid ergo?quia fidē Chriſti oppugnabas anteà, quā nunc ædificas,præuaricatorem te conſtituis? Sed illam non deſtruxi,quia deſtrui non poteſt. Hanc autem ſuperbiam uerè deſtruxerat,conſtāterq; deſtruebat,quia deſtrui poterat.Et ideò non ille præuaricator eſt, qui rem ueram conaretur deſtruere, & poſteaquàm uerā eſſe,ac deſtrui non poſſe cognoſceret, tenuit eam,ut in ea ædificetur.Sed ille præuaricator eſt,qui cum deſtruxerit rem falſam, quia deſtrui poteſt, eam rurſus ædificat.* *Præuaricator.*

Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam.

*Mortuum autem ſe legi dicit,ut iam ſub lege nō eſſet, ſed tamen per legem,ſiue quia* Iudæus *erat,& tanquā*

*pædagogũ legem acceperat, ſicut poſteà manifeſtat.*

Similia. *Hoc aũt agitur per pædagogũ, ut non ſit neceſſarius pædagogus, ſicut per ubera nutritur infans, ut iã ube ribus non indigeat: & per nauẽ peruenitur ad patriã; ut iam nauis opus nõ ſit. Siue per legem ſpiritaliter in tellectam legi mortuus eſt, ne ſub ea carnaliter uiueret, ut per eandẽ legẽ ſpiritaliter intellectã moreretur car nalibus obſeruationibus legis. Bene aũt adiungit, ut deo uiuam. Deo quippe uiuit, qui ſub deo eſt, legi autem, qui ſub lege eſt. Sub lege autẽ uiuit, quantum quiſque pec cator eſt, id eſt in quantum à uetere homine non eſt mu tatus.*

Chriſto confixus ſum cruci.

*Quia dixerat ſe per legem legi mortuũ, quomodo mor tuus fuerit, oſtendit. Chriſto confixus ſum cruci, id eſt omnibus peccatis mortuus ſum propter quæ lex data eſt, & ideò lex mihi minimè neceſſaria eſt.*

Viuo autem iam non ego; viuit vero in me Chriſtus.

Quis uerè dicat, uiuit i me Chriſtus. *Non uiuit ille qui quondam uiuebat in lege, quia perſe quebatur eccleſiam: Viuit autem in eo Chriſtus, ſapien tia, fortitudo, ſermo, pax, gaudium, cæteræque uirtu tes: quas qui non habet, non põt dicere, uiuit in me Chri ſtus. Quis ergo audeat Chriſto legem imponere, qui ui uit in Paulo? Non enim audet quis dicere, Chriſtum nõ rectè uiuere, ut ei coercendo lex imponenda ſit. Hoc au tem totum ſub ſua perſona aduerſum Petrum de Pe tro diſputat.*

Quod autem nunc viuo in carne, In fide, inquit, viuo filij dei.

Roma. 8.

*Aliud eſt in carne eßе, aliud in carne uiuere. Qui enim in carne ſunt, deo placere non poſſunt. Vnde ad bene uiuentes dicitur: uos igitur in carne non eſtis, ſed in ſpiritu. Quod uero ſubdidit, in fide uiuo filij dei, ita intelligendum eſt, ut etiam ſic Chriſtus uiuat in credente, habitãdo in interiore homine per fidem, ut poſteà per ſpeciem impleat eum, cùm abſorptum fuerit mortale à uita: quoniam futura uita promiſſa eſt Chriſtianis. Ideoq; qui nunc eſt in hac uita auxilio dei munitus, uiuit in fide uitæ promißæ, uiuit. Hic enim in imaginem illius contemplatur, quaſi pignus habens uitæ futuræ. Vt autem oſtenderet quòd uiuit in illo Chriſtus: & quòd in carne uiuẽs, in fide uiuit filij dei, non meriti ſui eße, ſed per gratiam dei, quæ Chriſti amore nobis quæſita eſt, addidit:*

Qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me.

*Pro quo utique, niſi pro pctõre; ut eum iuſtificaret? et dicit hoc qui Iudæus natus, & educatus erat, & abundantiùs æmulator extiterat paternarũ ſuarũ traditionum. Ergo & ſi pro talibus ſe tradidit Chriſtus, etiam ipſi peccatores erant. Non ergo meritis iuſtitiæ ſuæ datum dicam, qui non opus erat dari iuſtis.* Math. 9 *Non enim ueni uocare iuſtos; ait dominus, ſed peccatores: Ad hoc utique ne ſint pecatores. Ad Romanos* Roma. 8. *Apoſtolus de Deo loquitur, quòd proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus eum tradiderit: Nunc uerò ait, quòd ſe ipſe tradiderit CHRISTVS. ſed pater tradidit, ut ſaluaret perditum mundum: Chriſtus ſeipſum tradidit, ut patris, ſuamque faceret uoluntatem. Iudas autem, & ſacerdotes, & ſeniores*

*Quõ pater Chriſtũ, & ſe ipſũ Chriſtus tradiderit.*

*populi, & Pilatus uitam morti neſcij tradiderunt. Itaque cùm ipſe ſe quoq; pro noſtra ſalute tradiderit, beatus multumq́; fœlix erit, qui uiuente in ſe Chriſto, per ſingulas cogitationes & opera poteſt dicere, in fide uiuo filij dei, qui dilexit me, et tradidit ſeipſum pro me.*

Non abijcio gratiam dei.

*Vt dicam per legem eſſe iuſtitiam. Ille autē abijcit gratiam dei, qui poſt euangelium uiuit in lege, & poſt baptiſmum ſordidatur peccatis.*

*Qui gratiā dei abijciunt.*

Si enim per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.

*Id eſt ſine cauſa mortuus eſt, quando per legem, id eſt per opera legis, quibus Iudæi confidebant, poſſet eſſe iuſtitia in hominibus. Gratis autem mortuum Chriſtum nec illi dicunt, quos refellit, quoniam Chriſtianos ſe uolebant haberi. Non ergo rectè per illa legis opera chriſtianos iuſtificari ſuadebant. Icirco enim Chriſtus mortuus eſt, ut ea præſtaret, quæ lex nō poterat. ac per hoc non gratis mortuus eſt. Mors enim eius iuſtificatio peccatorum eſt. Hucuſque contra Petrum: nunc ad Galatas reuertitur, quibus rectè dicit.*

## IN CAPVT TERTIVM.

O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati?

*Dupliciter hic locus intelligi poteſt. Vel ideò inſenſatos Galatas appellatos, à maioribus ad minora uenientes, quòd inceperant ſpiritu, & carne conſummabantur. Vel ob id*

*quòd unaquæque prouincia ſuas habeat proprietates. uel unaquæque gens uel bonum, uel malum habere adſe ratur, quod alia non habet.* Nos *iſtas altitudines decli nantes, ſuperiora ſectabimur :* Aut *ſtultitiæ eos argui dicentes, per quam ſpiritum legis, & literam diiudica re non poſſint:* Aut *uitio gentis corripi, quòd indociles ſint, & uecordes, & ad ſapientiam tardiores.* Quòd *aũt ſequitur, quis uos faſcinauit?* Dicitur *faſcinus pro priè infantibus nocere, & ætati paruulæ, & his qui nec dum firmo ueſtigio figant gradum.* Vnde *& quidam de gentilibus,* Neſcio *quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. hoc utrunque uerum ſit necne deus nouit, uide rit lector. quia poteſt fieri, ut & dæmones huic pecca to ſeruiãt, & quoſcunque in dei opere uel cœpiſſe, uel profeciſſe cognouerint; eos à bonis operibus auertant.* Nunc *illud in cauſa eſt, quod ex opinione uulgi ſum ptum putamus exemplum, ut quo modo tenera ætas no cere dicitur faſcino; ſic etiam* Galatæ *in* Chriſti *fide nuper nati & nutriti lacte, & non ſolido cibo, uelu ti quodã faſcinati ſint toxico: & ſtomacho à fide nau ſeante, ſpiritus ſancti cibum euomuerint.* Iraſcentis *e nim cum miraculo uerba ſunt: quia ſic fuerant deprauati, ut nec ſe agnoſcerent circunuentos.* Omnis *enim qui faſcinatur, de bono tranſit ad malum:* Sicut *& hi de li bertate & ſecuritate ad ſeruitium & ſollicitudinem tranſierunt.* Vergilius

Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcri ptus eſt, & in vobis crucifixus.

Nobis *enim rectè proſcriptus eſt* Chriſtus, *de cuius pa tibulo & paſſione, alapis & flagellis omnis propheta-*

*rum prædicit chorus: ut crucem ipſius nõ de euangelio tãtum, in quo crucifixus refertur, ſed multò antequam deſcendere dignaretur ad terras, & hominem, qui eſt crucifixus, aſſumeret, nouerimus. Nec parua laus Galatarum eſt, quòd ita crediderint in crucifixum, ut eis fuerit antè proſcriptus, quòd ſcilicet lectitãtes prophetas, & omnia ueteris legis ſacramenta noſcentes, uia et ordine uenerint ad credendum.*

Hoc ſolumvolo à vobis diſcere, ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?

*Reſpondetur utique, ex auditu fidei. Ab apoſtolo enim prædicata eſt eis fides: In qua prædicatione utique aduentum, & præſentiam ſancti ſpiritus ſenſerant. Sicut illo tẽpore in nouitate inuitationis ad fidem etiam ſenſibilibus miraculis præſentia ſancti ſpiritus apparebat, ſicut in Actibus apoſtolorum legitur. Hoc autem factum erat apud Galatas antequam iſti ad eos peruertendos & circuncidendos ueniſſent. Iſte ergo ſenſus eſt, ſi in illis operibus legis eſſet ſalus ueſtra, non uobis ſpiritus ſanctus, niſi circũciſis daretur. Deinde intulit:*

Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini?

*Hoc eſt quod ſuperiùs in exordio dixerat, niſi aliqui ſint, qui conturbant uos, & uolunt conuertere euangelium Chriſti. Conturbatio enim ordini contraria eſt: Ordo eſt autem, à carnalibus ad ſpiritalia ſurgere, non ab ſpiritalibus ad carnalia cadere, ſicut iſtis acciderat: Cùm Iudæi non aliter ſpiritum accipiant, niſi per fidem: Vos econtatriò putatis uobis ſpiritum non ſufficere, niſi & legi ſubdamini. Et hæc eſt euangelij con-*

*uerſio retrorſum. quod quia bonum non eſt, non eſt euã gelium cùm hoc adnunciatur.*

Tanta paſſi eſtis ſine cauſa: ſi tamen ſine cauſa.

*Multa iam pro fide tolerauerant, non timore tanquam ſub lege poſiti: ſed magis in ipſis paſſionibus charitate timorem uicerant: Quoniam charitas dei diffuſa erat in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum, quem accepe rant. ſine cauſa ergo, inquit, tanta paſſi eſtis, qui ex charitate, quæ in uobis tanta ſuſtinuit, ad timorem re labi uultis: ſi tamen ſine cauſa tanta paßi eſtis. Hic ſi tamen non dubitantis eſt, ſed confirmantis. Vt eſt il lud, ſi tamen iuſtum eſt apud deum retribuere his qui uos tribulant, tribulationem: & uobis, qui tribulami ni, requiem nobiſcum. Quod enim ſine cauſa factum di citur, ſuperfluum eſt. Superfluum autem, nec pro deſt, nec nocet. Hoc uerò uidendum eſt, ne ad per niciem ualeat. Non enim hoc eſt non ſurgere, quod eſt cadere: quamuis iſti nondum cecidiſſent, ſed iam inclinarentur, ut caderent. Nam utique adhuc in e is Spiritus ſanctus operabatur, ſicut conſequenter dicit.*

Roma. 5.

2. Theß. 1

Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis; an ex auditu fidei?

*Tribuit, hoc eſt adminiſtrat, præſentis temporis eſt legendum, ut oſtendatur per ſingulas horas, atque momenta ſemper dignis ſpiritum ſanctum miniſtrari. Et quantò quis in dei opere & amore profecerit, tan*

*tò magis ſancti ſpiritus in ſe habere uirtutes, quas au ditus fidei, & non legis opera conſummant.* Non quò *legis opera contemnenda ſint,& abſque eis ſimplex fi des adpetenda: ſed ipſa opera fide Chriſti adornētur.*
Abacuc.2 *Scita eſt enim ſapientis uiri illa ſententia, non fidelem uiuere ex iuſtitia, ſed iuſtum ex fide. Simul oſtenditur, Galatas, accepto poſt fidem ſancto ſpiritu, dona habu iſſe uirtutum: Id eſt, prophetiam, genera linguarum, morborum curationes, & cætera, quæ ad* Corinthios *in donis ſpiritalibus enumerantur. & tamen poſt tanta, quia forſitan gratiam diſcernendorum ſpirituum non habebant, à falſis doctoribus irretiti ſunt.*

Sicut Abraham credidit deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam.

*Hoc enim maximè in eo uictorioſum eſt, quòd ante quã circunciderετur, deputata eſt fides gentium ad iuſtitiam.* Et ob hoc *refertur rectiſſimè quod ei dictum eſt,*
Gene.22 *Quia benedicentur in te omnes gentes. Imitatione utique fidei eius, qua iuſtificatus eſt etiam ante ſacramẽtum circunciſionis, quod ad fidei ſignaculum accepit, & ante ſeruitutem legis, quæ multo poſt data eſt tempore. Rectè talis reputatur fides ad iuſtitiam, qui legis opera ſupergreſſus, deum non metu, ſed dilectione promeruit.*

Cognoſcitis ergo, quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abraham.

Roma.4. *Verum eſt, quia credentes filij ſunt Abrahæ. Quia ſi Abraham ex fide iuſtificatus eſt primus, quotquot poſt tunc credunt, filij eius ſunt, ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus. Plenius de hoc in epiſtola ad* Romanos *diſpu-*

*tabat, quòd fides reputata ſit Abrahæ, & cæteris, quicunque hac mente crediderint, quia incircuncifus credidit Abraham, qui exultauit, ut uideret diem domini, & uidit, & lætatus eſt. Vnde et ad iſideles Iudæos dicitur: Si filij eſſetis Abraham, opera Abrahæ faceretis.* Ioan. 8.

Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus; prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.

*Non quò ipſa ſcriptura, atramentum uidelicet & mẽbranæ, quæ inſenſibiles ſunt, poſſint futura pranoſcere: ſed quò ſpiritus ſanctus, & ſenſus qui in literis latet, multis poſt ſeculis uentura prædixerint. Porrò exemplum, quod de Geneſi ſumptum eſt, ita in proprio uolumine continetur. Et benedicetur in ſemine tuo oẽs gentes terræ. Quod Apoſtolus ſuper Chriſto interpretans ait: Non eſt ſcriptum in ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Itaque non nunquam uel detraxerunt uerba, uel addiderunt. nulli uerò dubium quòd in Iſaac, & in Iacob, ſiue in duodecim patriarchis, & cæteris, qui de Abraham ſtirpe deſcendunt, non fuerint benedictæ uniuerſæ nationes: ſed in Chriſto Ieſu per omnes gentes laudabant deum, & benedicitur nouum nomen ſuper terras.* Paulò poſt, hoc capite.

Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptũ eſt enim. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius, vt faciat ea.

*Sub timore uult intelligi, non in libertate: ut ſcilicet*

*corporali præſentiq; uindicta uindicaretur in eos, qui non permanerent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut facerent ea.* Huc quoque accederet, *ut in ipſa corporum pœna etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem iuſtificatur apud deum, qui eum gratis colit: non ſcilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipſo præter ipſum: aut timore amittendi.* In ipſo *enim ſolo uera noſtra beatitudo, atque perfecta eſt.* Et *quoniam inuiſibilis eſt oculis carneis, fide colitur quãdiu in hac carne uiuimus, ſicut ſuprà dixit:* Quòd *autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij dei. & ipſa eſt iuſtitia, quò pertinet quod dictum eſt, quia iuſtus ex fide uiuit.*

*Quis apud deũ iuſtus.*

Hinc etenim *oſtendere uoluit, quòd in lege nemo iuſtificatur, quia ſcriptum eſt, iuſtum ex fide uiuere.* Qua *in re intelligendum eſt in lege quod nunc ait, in operibus legis dictum eſſe: & hoc iſtis, qui in circunciſione carnis, & talibus obſeruationibus continentur, in quibus qui uiuit ita in lege eſt, ut ſub lege uiuat: ſed legem, ut dictum e ſt, pro ipſis operibus legis nunc poſuit; quod de poſterioribus manifeſtatur. Ait enim, Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, uiuet in illis.* Non *ait, qui fecerit eam, uiuet in ea, ut intelligas legem in hoc loco pro ipſis operibus poſitam.* Qui *autem uiuebant in his operibus, timebant utique, ne ſi nõ ea feciſſent, lapidationem, uel crucem, uel aliquid huiuſmodi paterentur.* Ergo *qui fecerit ea, inquit, uiuet in illis: id eſt habebit præmium, ne in iſta morte puniatur.* Non ergo apud DEVM, *Cuius ex fide ſi quis in hac uita uixerit, cum hinc exceſſerit; tunc*

*Legẽ pro operibus interdum accipi.*

*cum magis habebit præſentiſsimum præmium.* Non *utique ex fide uiuit, quiſquis præſentia, quæ uidentur, uel cupit, uel timet: quia fides* DEI *ad inuiſibilia pertinet, quæ poſt dabuntur.* Nam *eſt iſta quædam in operibus legis iuſtitia, quando ſine ſuo præmio relicta non eſt, ut qui fecerit, uiuat in eis. Vnde & ad* Romanos *dicit: Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud* DEVM. *Aliud eſt ergo non iuſtificari, aliud non iuſtificari apud* DEVM. *Qui omnino non iuſtificatur, nec illa ſeruat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis iuſtificatur, non apud Deum iuſtificatur, quia temporalem inde expectat, uiſibilemque mercedem. ſed tamen eſt etiam iſta, ut dixi, quædam, ut ſic dicam, terrena, carnaliſque iuſtitia.* Nam *& ipſe Apoſtolus eam iuſtitiam uocat, Cùm alibi dicit, Secundum iuſtitiam quæ in lege eſt, conuerſatus qui fuerim ſine querela. Propterea dominus noſter* IESVS CHRISTVS *iam libertatem daturus credentibus, quaſdam earum obſeruationum non ſeruauit ad literam. Vnde etiam cùm ſabbato eſurientes diſcipuli ſpicas euulſiſſent, reſpondit indignantibus, dominum eſſe filium hominis etiam ſabbati. Itaque illa carnaliter non obſeruando carnali conflagrauit inuidia, & ſuſcepit quidem pœnam propoſitam illis, qui eam non obſeruaſſent, ſed ut credentes in ſe talis pœnæ timore omnino liberaret, ad quod refertur, quod nunc conſequenter adiunxit.*

Roma. 4.

Philip. 3.

Math. 12.

Chriſtus nos redemit de maledicto legis, Factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt. Maledictus omnis qui pendet in ligno.

Deute. 21.

*Mors hominis ex pœna peccati eſt, Vnde & ipſa peccatum dicitur. non quia peccat homo dũ moritur, ſed quia ex peccato factum eſt, ut moriatur: ſicut alio modo dicitur, Lingua propriè caro, quæ intra dentes ſub palato mouetur: & alio modo dicitur lingua quod per linguam fit: ſecundum quem modum dicitur lingua græca, alia latina. Et manus alio modo dicitur ipſum propriè corporis membrum, quod mouemus ad operandũ: & alio modo manus dicitur ſcriptura, quæ fit per manum. Dicimus enim, prolata eſt manus eius, lecta eſt aduerſus eum manus eius, habeo manum tuam, manus utique propriè membrum eſt hominis. Non autem opinor illam ſcripturam membrum eſſe hominis: & tamen dicitur manus, eò quòd manu facta ſit. Sic & peccatum non tantum ipſum opus malum, quod pœna dignũ eſt, ſed etiam ipſa mors, quæ propter peccata eſt; peccatũ appellatum eſt. Illud itaque peccatũ, quo reus eſſet mortis, non commiſit Chriſtus: Illud autem alterum, id eſt, mortem, quæ peccato inflicta eſt humanæ naturæ, ſuſcepit pro nobis. Hoc ſuſpendit in ligno, hoc maledictũ eſt per Moyſen. Ibi mors dãnata eſt, ne regnaret. & maledicta eſt, ut periret. quapropter per Chriſti tale peccatũ dãnatũ eſt & noſtrũ peccatũ, ut nos liberaremur: ne regnante peccato, nos damnati remaneremus. Quid ergo miratur Fauſtus, maledictum eſſe peccatum, maledictam eſſe mortem, maledictã eſſe mortalitatem carnis ſine peccato chriſti? Ex peccato tamen hominis etiã*

*Mors peccatũ dicitur, quia ex pctõ orta eſt.*

*Contra Fauſtum Manichæum.*

*in Chriſto factum.ex Adam quippe corpus adſumpſit: quia ex Adam deſcẽdit uirgo Maria,quæ peperit Chriſtum.Dixerat autem deus in paradiſo:qua die tetigeritis,morte moriemini.Hoc eſt maledictum,quod pependit in ligno.Ille neget Ieſum maledictum,qui negat & mortuum.Qui autem confitetur & mortuum,& negare non poteſt mortem de peccato eſſe, & ob hoc etiam ipſum peccatum uocauit: audiat apoſtolum dicentem, Quoniam uetus noſter homo ſimul cum illo crucifixus eſt:& intelligat quem maledictũ Moyſes dixerit, Ideoque ſecurus apoſtolus ait de Chriſto.Factus eſt pro nobis maledictũ,ſicut non timuit dicere,pro omnibus mortuus eſt. Hoc eſt enim mortuus eſt,quod maledictus: quoniam mors ipſa ex maledicto eſt,& maledictum eſt omne peccatum,ſiue ipſum,quod fit ut ſequatur ſupplicium,ſiue ipſum ſuppliciũ,quod alio modo uocatur peccatum,quia fit ex peccato. Suſcepit autem Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum,ut inde ſolueret reatũ noſtrum,& finiret etiam ſupplicium noſtrum.Ex ingenio meo iſta dixerim,ſi non apoſtolus toties hoc inculcat, ut & dormientes excitet, & calũniantes confundat. Miſit,inquit, Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati; quia non de traduce mortalitatis in Maria per maſculum uenerat: ſed tamen quia de peccato eſt mors.Illa autẽ caro,quanuis ex uirgine,tamen mortalis fuit:& eò ipſo,quo mortalis erat, ſimilitudinẽ habebat carnis peccati.Hoc appellat etiam peccatum,conſequenter dicens: Vt de peccato damnaret peccatũ in carne.Item alio loco Eum,inquit,qui non nouerat peccatum,peccatũ pro nobis fecit, ut nos ſimus iuſtitia dei*

*Gene. 2*

*Probat nõ incongrue chriſtũ maledictũ dici ſicut et alibi peccatum dicitur.*

Roma. 8.

2.Cor.5

in ipſo. Cur ergo timeret Moyſes dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum? Planè hoc propheta ei præuidere debuit, & prædicere paratus ab hæreticis cum apoſtolo reprehendi. Quiſquis enim reprehenderit prophetam dixiſſe maledictum, cogitur reprehendere apoſtolum dixiſſe peccatum. Nam utiq; maledictum comes peccati eſt. Nec ideò maior inuidia eſt, quòd addiderit deo, ut diceret, maledictus deo omnis qui pependerit in ligno. Niſi enim deus odiſſet peccatum, & mortem noſtram, non ad eam ſuſcipiendam atque delendam filium ſuum mitteret. Quid ergo mirum, ſi maledictum eſt deo, quod odit deus? Tantò enim libentiùs nobis donat immortalitatem, quæ futura eſt Chriſto ueniente: quantò miſericordiùs odit mortem noſtram, quæ in ligno pependit Chriſto moriente.

Quòd autem additum eſt omnis, ut diceretur maledictus omnis qui pependit in ligno, non ſanè Moyſes minus præuidit, etiam iuſtos in cruce futuros, ſed bene præuidit hæreticos ueram mortem domini negaturos: Et ideò uolentes ab hoc maledicto Chriſtum ſeiungere, ut à mortis etiam ueritate ſeiungerent. Si enim uera illa mors nõ erat, nullũ maledictũ Chriſto crucifixo pepẽdit in ligno: quia nec uerè crucifixus eſt: ſed cõtra lõgè futuros hæreticos quã de longè clamat Moyſes: ſine cauſa tergiuerſamini. O quibus diſplicet ueritas mortis Chriſti, maledictus cẽs qui pependit in ligno. Nõ ille, aut ille: ſed omnis omnino, etiã & filius dei, etiam prorſus. Nam hoc eſt, quod non uultis, inde ſatagitis, inde ſeducitis. Diſplicet enim uobis maledictus pro nobis quia diſplicet mortuus pro nobis. Tunc enim extra male

*dictũ illius Adã, ſi extra illius mortẽ. Cùm uerò ex hoĩe & pro hoĩe mortẽ ſuſcepit, ex illo, & pro illo ẽt maledictum, quod mortẽ comitatur, ſuſcipere nõ dedignatus eſt: etiã ille, prſus, etiã ille filius dei, ſp uiuus in ſua iuſtitia, mortuus autẽ propter delicta noſtra, in carne ſuſcepta ex pœna noſtra. ac per hoc additũ eſt oĩs; ne Chriſtus ad ueram mortem non pertinere diceretur, ſi à maledicto, quod morti coniunctum eſt, inſipienti honorificentia ſeparetur. Qui autem ex ueritate euangelica fidelis eſt, intelligit iam non eſſe contumeliam Chriſti ex ore Moyſi, Cùm eum dixit maledictum, non ex diuinitate maieſtatis ſuæ, ſed ex conditione pœnæ noſtræ; ex quo in ligno ſuſpenſus eſt. quare nõ eſt laus Chriſti ex ore Manichæorum, cùm eũ negant carnẽ habuiſſe mortalẽ, in qua ueram mortẽ pateretur. quia ex illo prophetico maledicto, laus intelligitur humilitatis: ex iſto hæretico quaſi honore crimen obijcitur falſitatis. Si ergo negas maledictũ, negas & mortuũ. Si negas mortuum, non tã contra Moyſen, ſed contra apoſtolos dimicas. Si aũt confiteris mortuũ, cõfitere ſuſcepiſſe pœnã peccati noſtri ſine peccato noſtro. Iam uerò ubi audis pœnam peccati, aut ex benedictione crede uenientem, aut ex maledictione. Si ex benedictione uenit pœna peccati; opta eſſe ſemper in pœna peccati. Si autem optas inde liberari, crede per diuinæ ſententiæ iuſtitiam ex maledictioneueniſſe. Confitere ergo maledictum ſuſcepiße pro bonis; quem confiteris mortuum eſſe pro nobis. Nec aliud ſignificare uoluiſſe Moyſen cùm diceret, maledictus omnis qui in ligno pependerit, niſi mortalis omnis, & moriens omnis, qui in ligno pependerit.*

*poterat enim dicere, maledictus omnis, qui mortalis, aut maledictus omnis moriens. Sed hoc eſt quod aſſerit prophetia, Quia ſciebat Chriſti mortem in cruce pen ſuram, & futuros hæreticos, qui dicerent: Pepēdit quidem in ligno, ſed ſpecie quadam, non ut uere moreretur. Clamando ergo maledictus, nihil aliud clamauit, niſi quia uere mortuus, ſciens mortem hominis peccatoris, quam ſine peccato ipſe ſuſcepit, de illo maledicto uenientem, quo dictum eſt. Si tetigeritis, morte moriemini.*

Vt adoptionē ſpiritus accipiamus per fidem. *Id eſt, ut quod non timetur in carne, ſed quod ſpiritu diligitur, credituris adnuncietur.*

Fratres, ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat.

*Cùm enim teſtator mutet teſtamentum, non confirmatum mutat. Teſtatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors teſtatoris ualet ad confirmandum teſtamē tum eius, quia conſilium iam mutare non poteſt: Hoc incommutabilitas promiſſionis dei ualet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cuius fides deputata eſt ad iuſtitiam.*

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſt⁹.

*Semen Abrahæ quod ſit.* *Semen Abraham, cui dictæ ſunt promiſſiones, Chriſtum dicit apoſtolus: Hoc eſt, omnes chriſtianos fidem imitantes Abrahæ. Quos ad ſingularitatem redigit commendando, quod non dictū eſt & ſeminibus, ſed ſemini*

*tuo Quia una eſt fides, & non poſſunt ſimul iuſtificari, qui uiuunt ex operibus carnaliter, cum his, qui uiuunt ex fide ſpiritaliter. Vincibiliter autē quod infert, lex non data erat, nec poßet poſt tot annos ita dari, ut antiquas Abrahæ promiſſiones irritas faceret. Si enim lex iuſtificat, non eſt iuſtificatus Abraham, qui multum ante legem fuit. Quod quia dicere non poßunt, coguntur fateri non legis operibus iuſtificari hominem; ſed fide. Simul etiam nos cogit intelligere, omnes antiquos patres, qui iuſtificati ſunt, ex ipſa fide iuſtificatos. Quod enim nos ex parte præteritum, id eſt primū aduentum domini: ex parte futurum, id eſt ſecundū aduentum domini credendo ſalui efficiemur:* Hoc totum *illud eſt; utrunque aduentum futurum credebant reuelante ſibi ſpiritu ſancto, ut ſalui fierent. Vnde eſt etiā illud: Abraham concupiuit diem meum uidere, & uidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8.

Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit, ad euacuandam promiſſionem.

*Primùm propter imperitos ipſos annos minutatim, atque ſubtiliter diſcutiamus* Et *poſt quid exinde ſentiendum ſit exponemus.* Igitur *Abraham, cùm ſeptuaginta quinque eßet annorum diuinum accepit oraculum, ut egrederetur de terra ſua: qui pòſt uiginti quinque annis genuit Iſaac, qui erat annus uitæ ſuæ centeſimus. Qui Iſaac anno uitæ ſuæ ſexageſimo genuit Iacob, & Eſau. Hi ſunt anni à prima Abrahæ promißione octoginta quinque. Denique Iacob anno uitæ ſuæ nonageſi*

Gene. 12 *Computatio annorū à promiſſione Abrahæ uſq; ad legem.* Gene. 21

*mo primo genuit Ioſeph.& anno uitæ ſuæ cẽteſimo tri ceſimo,qui erat annus uitæ Ioſeph triceſimus nonus, de*
Gene.47. *ſcendit in Aegyptum.Hi ſunt anni à prima promißione Abrahæ ducenti quindecim. Manſeruntq; filij Iſrael in Aegypto,poſt introitum Iacob,annis ducentis quindecim.Poſt mortem uerò Ioſeph annos centum quadraginta quatuor. Inter mortem Ioſeph & natiuitatem Moyſi fuerunt anni ſexaginta:quia octoginta annorũ*
Exo.7. *erat Moyſes; quando apparuit ei deus, & miſit eum ad Pharaonem. Si quis iſta dubitat,uel calculandi; & inueniendi ſummam annorum,non habet ſcientiam,Sumat annos ab introitu Iacob in Aegyptum,& inueniet uſque ad mortem Ioſeph annos ſeptuaginta unum. his adde ſexaginta quatuor,fiunt cẽtum triginta quinque: Quia ſexageſimo quarto anno poſt mortẽ Ioſeph inuenitur natus eſſe Moyſes.His adde octoginta annos uitæ Moyſi,quia tot annorum erat quãdo miſſus eſt ad pharaonem.Hos adde ad centum triginta quinque ſuperiores annos,& fiunt ducẽti quindecim.A prima igitur promiſſione Abrahæ uſque ad introitũ Iacob in Aegyptũ,fuerũt anni ducẽti quindecim. Et inde uſque ad tranſitũ maris rubri,anni ducẽti quĩdecim.Fiũt in ſumma quadringenti triginta. Et hoc eſt,quod ait apoſtolus hoc loco. Non aũt dico teſtamentũ confirmatum à*
Dubiũ de 400. ãnis. afflictionis prædictis Abrahæ, Ge 15 *deo, quæ facta eſt poſt quadringẽtos & triginta annos.Sed dicet aliquis.Quõ poteſt fieri,ut tam paucos filij Iſrael in terra Aegypti ſteterint,annos,cũ ſcriptura libri Geneſeos narret, quòd dixerit deus ad Abrahã. Scito prænoſcẽs,quia peregrinũ erit ſemen tuũ in terra nõ ſua,& ſubijcient eos ſeruituti, & efficient annis*

quadringentis? Non itaque; quod ait, in ſeruitutē redigens eos, ad quadringentos annos referendū eſt, tanquā per tot annos habuerint in ſeruitute: ſed referēdi ſunt quadringēti anni ad id, quod dictū eſt, peregrinū erit ſemen tuū in terra nō ſua. Quia ſiue in terra Chanaā, ſiue in Aegypto, peregrinū erat illud ſemen antequàm hereditatē ſumerent in terra, ex promiſſione dei. quod factū eſt poſteaquàm ex Aegypto liberati ſunt: ut per ſpeciem locutionis, quā grammatici hyperbatō uocāt, dictum eſſe intelligatur. Et eſt ſenſus, uel ordo uerborū: Sciendo ſcias, quia peregrinum erit ſemen tuū in terra non ſua quadringentis annis. Illud autem interpoſitum intelligatur, & in ſeruitutem redigent eos, & nocebunt illis, ita ut ad CCCC. annos iſta interpoſitio non pertineat. In extrema enim parte annorum ſummæ huius, hoc eſt poſt mortem Ioſeph factum eſt, ut in Aegypto populus dei duram perageret ſeruitutē. Sequitur quæſtio ſatis neceſſaria. Si enim fides iuſtificat, & priores ſancti, qui apud deum iuſtificati ſunt, per ipſam iuſtificati ſunt, quid opus erat legem dari? Simplex aūt ſenſus, qui hoc loco texitur, hāc uim habet, ut doceret apoſtolus, nō poſſe per legē, quæ poſteà data eſt, repromiſſiōes, quæ ante factæ ſunt ad Abrahā, deſtrui: & poſteriora prioribus præiudicare. Cùm repromiſſiōes ad Abrahā ante quadringētos & triginta annos datæ ſint; quòd benedicerētur in illo uniuerſæ nationes: legis aūt obſeruatio, quòd qui feciſſet eā uiueret in ea, Poſt quadringētos & triginta annos Moyſi data ſit, in monte Sinai. Ecōtrariò hic dici poterat. Quid ergo neceſſe fuit legem poſt tantum tempus repromiſſionis dari, cùm

Quæſtio quid op⁹ erat lege

*ex data lege ſuſpitio deſtructæ ſponſionis potuerit oboriri: & , manente repromiſsione, non profutura lex data ſit. quam præuidens apoſtolus quæſtionem, in ſequentibus ipſe ſibi proponit, & explicat, dicens.*

Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum erat: ordinata per angelos in manu mediatoris. mediator autem vnus non eſt: Deus autem vnus eſt.

*Lex ad peccatum coercēdū impoſita.*

*Quia manente repromiſſione, quæ facta fuerat ad Abraham, lex poſteà data per Moyſen fruſtra uidebatur illata: cur data ſit explicat, propter trāſgreſſiones, inquit. Poſt offenſam enim in heremo populi: poſt adoratum uitulum, & murmur in dominum, lex tranſgreſſiones prohibitura ſucceſſit. Superbienti ergo populo lex poſita eſt, ut quoniam gratiam charitatis, niſi humiliatus accipere nō poßet: & ſine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret: tranſgreßione humiliaretur, ut quæreret gratiam: nec ſe ſuis meritis ſaluum fieri (quod ſuperbum eſt) opinaretur, ut eſſet non ſua poteſtate & uiribus iuſtus, ſed in manu mediatoris iuſtificantis impium. Per angelos autem miniſtrata eſt omnis diſpenſatio ueteris teſtamenti, agente in eis ſpiritu ſancto, & ipſo uerbò ueritatis nondum incarnato, ſed nunquam ab aliqua ueridica adminiſtratione recedente: quia per angelos diſpoſita eſt illa diſpenſatio legis, cùm aliquando ſuam, aliquando dei perſonā, ſicut prophetarum etiam mos eſt, agerent. Perq; illam legē morbos oſtendentem, non auferentem, etiam præuaricationis crimine contrita ſuperbia eſt. Diſpoſita eſt per an-*

*gelos, ſed in poteſtate mediatoris, ut ipſe liberaret à peccatis per tranſgreſſionem legis coactos confiteri, opus ſibi eſſe gratia & miſericordia domini, ut ſibi peccata dimitterentur, & in noua uita per eum, qui pro ſe ſanguinem fudiſſet, reconciliarentur deo.* In *iſtis enim erat per tranſgreſſionem legis confringenda ſuperbia: qui gloriantes de patre* A*braham, quaſi naturalē ſe iactabant habere iuſtitiam, & merita ſua in circunciſione cæteris gentibus tantò pernicioſiùs, quantò arrogantiùs præferebant*. Gentes *autem facillimè etiam ſine hmōi legis tranſgreſſione humiliarentur.* Homines *enim nullam ex parentibus originem iuſtitiæ ſe trahere præuidentes, ſimulachrorum etiam ſeruos inuenit euangelica gratia.* Non *enim ſicut iſtis dici poterat, non fuiſſe illam iuſtitiam parentum eorum in colendis idolis, quàm eſſe arbitrabantur: ita etiam* I*udæis dici poterat, falſam fuiſſe iuſtitiam patris* A*braham*. I*taque illis dicitur* Facite *ergo fructum dignum pœnitētiæ, et ne dixeritis uobis, patrem habemus* A*braham.* Potens *eſt enim deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios* A*brahā.* Luce. 3 I*ſtis autem dicitur*. Propter *quod memores eſtis, quòd uos aliquādo gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circunciſio in carne manufacta, qui eratis illo tempore ſine* Chriſto, *alienati à ſocietate* I*ſrael, & peregrini teſtamentorum, promiſsionis ſpē non habentes, & ſine deo in hoc mundo.* Denique *illic infideles de oliua ſua fracti, hic autem fideles de oleaſtro in oliua illorum inſerti eſſe monſtrantur.* Illorum *ergo erat de legis tranſgreſſione atterenda ſuperbia: ſicut ad* Romanos, *cùm ſcripturarum uerbis peccata eo* Ephe. 2.

*rum exaggeraſſet, Scitis aũt, inquit, quoniã quæcunque lex dicit, his qui in lege ſunt loquitur; ut omne os obſtruatur, & reus fiat omnis mundus deo. Iudæi ſcilicet de tranſgreſſione legis, & gentes de impietate ſine lege. Vnde & iterum ait. Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnibus miſereatur.*

Roma. 3 / Roma. 11.

Lex ergo aduerſus promiſſa dei? abſit.

*Non ergo lex data eſt, ut peccatum auferret: ſed ut ſub peccato oĩa concluderet. Lex enim oſtendebat eſſe peccatum, quod illi per conſuetudinem cæcati poſſent putare iuſtitiam: ut hoc modo humiliati cognoſcerent nõ in ſua manu eſſe ſalutem ſuam, ſed in manu mediatoris. Abſit utique, quia nõ eſt lex inimica promiſſionis, quippe cùm confirmet eam. Nam primus Moyſes dixit: Prophetam uobis ſuſcitabit deus de fratribus ueſtris. Hoc dictum de Chriſto Petrus apoſtolus probat in Actibus Apoſtolorum.*

Deute. 18. / Act. 13.

Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare; vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credẽtibus. Prius aũt quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur; concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.

*Sicut mediator dei & hominum inter dantem & accipiẽtem legem medius fuit: Sic lex ipſa, quæ poſt repromiſſionem data eſt, inter repromiſſionem & cõpletionẽ eius media ſubrepſit. Quæ nõ idcirco arbitrãda eſt promiſſionẽ excludere, quia poſteà ſubſecuta eam quæ prius fuit, uidetur abolere: ſed ex eo, quòd nõ potuit uiuificare, nec id tribuere, quod repromiſſio prima pollici*

Lex promiſſionẽ nõ abole-

*ta eſt, manifeſtum eſt in cuſtodiam eam repromiſsiõis, non in ſubuerſionem datam. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet præſtare uitam, & id quod repromiſſio ſpoponrat exhibere: uerè promiſſio per legem putaretur excluſa. Nunc autem propter tranſgreſſiones (ut ſuprà diximus) poſita, magis eos arguit peccatores, quibus poſt repromiſsionem in cuſtodiam, & , ut ita dicam, in carcerem data eſt: ut quia per arbitrij libertaten noluerũt innocentes expectare promiſsum, legalibus uinculis præpediti, & in ſeruitutem mandatorum redacti, cuſtodirentur in aduentum futuræ in Chriſto fidei, quæ finem repromiſſionis adferret. Iuſtitiam hanc dicit, quæ apud Deum reputatur iuſtitia, id eſt fidei, quia & lex habuit iuſtitiam, ſed ad præſens; non quæ iuſtificaret apud deum. remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret iuſtos: ſed ad hoc data eſt, ut terrori eſſet prouocans homines ad bonam uitam, irreuerentes puniens. Ideoq; non eſt data lex, quæ poſſet uiuificare, ſed condemnare. Nec uerò æſtimandum ſcripturam auctorem eſſe peccati, quia omnia ſub peccato concluſiſſe dicatur: Cùm mandatum quod ex iure præcipitur, oſtẽdat potiùs, arguatque peccatum, quàm ſit cauſa peccati. Quomodò & iudex non eſt auctor ſceleris, nequam homines uinciendo, ſed cõcludit eos, & nocentes ſententiæ ſuæ auctoritate pronunciat, ut debitores pœnæ indulgentia, poſteà, ſi uoluerit, principalis abſoluat. Quod autem dicit, priuſquam ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat: Acſi apertè dicat, iam nos reatus legis non obligat, iam per gratiam liberatos.*

*uit, ſed cuſtodiuit, pctã interim prohibens.*

*Scriptura legis, ut nec mãdatum quodpiã, nec iudex non fuit cauſa peccati, ſedꝫ iudex tantum.*

*rum exaggeraſſet, Scitis aũt, inquit, quoniã quæcunque* Roma.3 *lex dicit, his qui in lege ſunt loquitur; ut omne os obſtruatur, & reus fiat omnis mundus deo. Iudæi ſcilicet de tranſgreſſione legis, & gentes de impietate ſine lege.* Roma.11. *Vnde & iterum ait. Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnibus miſereatur.*

Lex ergo aduerſus promiſſa dei? abſit.

*Non ergo lex data eſt, ut peccatum auferret: ſed ut ſub peccato oĩa concluderet. Lex enim oſtendebat eſſe peccatum, quod illi per conſuetudinem cæcati poſſent putare iuſtitiam: ut hoc modo humiliati cognoſcerent nõ in ſua manu eſſe ſalutem ſuam, ſed in manu mediatoris. Abſit utique, quia nõ eſt lex inimica promiſsionis, quippe cùm confirmet eam. Nam primus Moyſes dixit: Pro*Deute.18. *phetam uobis ſuſcitabit deus de fratribus ueſtris. Hoc* Act.13. *dictum de Chriſto Petrus apoſtolus probat in Actibus Apoſtolorum.*

Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare; vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credẽtibus. Prius aũt quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.

*Sicut mediator dei & hominum inter dantem & accipiẽtem legem medius fuit: Sic lex ipſa, quæ poſt repromiſſionem data eſt, inter repromiſſionem & cõpletionẽ eius media ſubrepſit. Quæ nõ idcirco arbitrãda eſt* Lex promiſſionẽ nõ abolet. *promiſsionẽ excludere, quia poſteà ſubſecuta eam quæ prius fuit, uidetur abolere: ſed ex eo, quòd nõ potuit uiuificare, nec id tribuere, quod repromiſsio prima pollici*

*ta eſt, manifeſtum eſt in cuſtodiam eam repromißiõis, non in ſubuerſionem datam. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet præſtare uitam, & id quod repromiſſio ſpoponrat exhibere: uerè promiſſio per legem putaretur excluſa. Nunc autem propter tranſgreſſiones (ut ſuprà diximus) poſita, magis eos arguit peccatores, quibus poſt repromißionem in cuſtodiam, & , ut ita dicam, in carcerem data eſt: ut quia per arbitrij libertaten noluerũt innocentes expectare promißum, legalibus uinculis præpediti, & in ſeruitutem mandatorum redacti, cuſtodirentur in aduentum futuræ in Chriſto fidei, quæ finem repromiſſionis adferret. Iuſtitiam hanc dicit, quæ apud Deum reputatur iuſtitia, id eſt fidei, quia & lex habuit iuſtitiam, ſed ad præſens; non quæ iuſtificaret apud deum. remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret iuſtos: ſed ad hoc data eſt, ut terrori eſſet prouocans homines ad bonam uitam, irreuerentes puniens. Ideoq; non eſt data lex, quæ poſſet uiuificare, ſed condemnare. Nec uerò æſtimandum ſcripturam auctorem eſſe peccati, quia omnia ſub peccato concluſiſſe dicatur: Cùm mandatum quod ex iure præcipitur, oſtẽdat potiùs, arguatque peccatum, quàm ſit cauſa peccati. Quomodò & iudex non eſt auctor ſceleris, nequam homines uinciendo, ſed cõcludit eos, & nocentes ſententiæ ſuæ auctoritate pronunciat, ut debitores pœnæ indulgentia, poſteà, ſi uolucrit, principalis abſoluat. Quod autem dicit, priuſquam ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat: Acſi apertè dicat, iam nos reatus legis non obligat, iam per gratiam liberatos.*

*uit, ſed cuſtodiuit, pctã interim prohibens.*

*Scriptura legis, ut nec mãdatum quodpiã, nec iudex non fuit cauſa peccati, ſed index tantum.*

*Nãque antequã ſpiritalem gratiam humiliati recipere mus, nihil niſi mortificabat nos litera, iubens quod nõ*
2.Cor.3. *poteramus implere: vnde dicit, litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat. Concluſio enim eorum erat tantùm timor unius dei. & quòd præuaricatores ipſius legis inuenti ſunt, non ad perniciem, ſed ad utilitatem ualuit eis, qui crediderunt. Cognitio enim maioris ægritudinis, & deſiderari medicum uehementiùs fecit, & diligi ardentiùs. Cui enim plurimum dimittitur, plurimùm diligit.*

Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto Ieſu, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſub pædagogo ſumus. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Pædagogus. *Pædagogus græcũ eſt. Pædagogus, pediſſequus. Pædagogũ eruditorem, uel nutritorem puerorum dicimus. Pædagogus dicitur, qui paruulis adſignatur, ab eo quòd pueros agat, id eſt, ducat, & laſciuientem refrenat ætatem, & prona in uitia corda teneantur dum tenera ſtudijs eruditur infantia, & ad maiores philoſophiæ, ac regẽdæ reipublicæ diſciplinas metu pœnæ coercita præparetur. Non tamẽ pædagogus magiſter & pater eſt, nec hereditatem & ſcientiam pædagogi is qui eruditur expectat: ſed alienũ cuſtodit filiũ pædagogus, ab eo, poſtquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus aduenerit, receſſurus. Denique & nomẽ pædagogi hoc ipſum ſonat: & eſt compoſitum ab eo quòd pueros agat, id eſt doceat. Itaque & Moyſi lex populo laſciuienti, ad inſtar pædagogi ſeuerioris ad-*

*poſita eſt, ut cuſtodiret eos, & futuræ fidei præpararet. quæ poſtquam uenit, & credidimus in Chriſtũ, iã non ſumus ſub pædagogo: Tutor à nobis, curatorq́; diſcedunt: & legitimum ætatis tempus ineuntes uere dei filij nominamur. cui nos generat, non lex abolita, ſed mater fides, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quòd ſi quis poſt conſummatum ætatis ſuæ tempus quando iam hæres, et liber, & filius appellatur, uoluerit eſſe ſub pædagogo: ſciat ſe non poſſe legibus paruuli uiuere. Vbi enim nũc compleri poteſt illud, Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum in cõſpectu domini dei tui, ſubuerſa Hieruſalem, & templo uſque ad cineres diſsipato? ubi ſalutares & pro peccato hoſtiæ? ubi ſimilarum decoctio, holocauſtorum oblatio, æternus ignis, altari omnino deſtructo? noxijs uerò quæ poterit pœna diſcerni, ſcriptura dicente, Auferetis malum de medio ueſtrum; ſeruientibus Iudæis, & Romanis regnantibus? atque ita fit, ut nec ſub patre, nec ſub pædagogo uiuant: dum & lex impleri non poteſt poſt ſucceſſionem fidei, & fides, dum pædagoga lex adpetitur, non tenetur.*

Exo. 34

Leuit. 4. 5 & 6

Deute. 13.

Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

*Quòd autem Chriſtus ſit indumẽtum fidelium, non ſolùm de præſenti loco, uerum etiam de alio comprobatur, Paulo eodem cohortante: Induite uos dominum Ieſum Chriſtum: dum immutantur, Chriſtũ induunt, quãdo hoc appellantur, quod credũt. Si igitur, qui in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induerunt, manifeſtum eſt eos, qui non ſunt induti Chriſtum, non fuiſſe baptizatos in Chriſto. Quòd autem filios dei dicit eſſe omnes per*

Roma. 13.

*ſidem, quainduerunt* CHRISTVM, *quicunque in ipſo baptizati ſunt, ad hoc ualet, ne gentes de ſe deſperarent, quia non cuſtodiebantur ſub pædagogo, & ideò ſe filios non putarent: ſed per fidem induendo* CHRISTVM, *omnes filij fiunt, nõ natura, ſicut unicus filius, qui etiam ſapientia dei eſt: Neque potentia & ſingularitate ſuſceptionis, ad habendam naturaliter, & agendam perſonam ſapientiæ, ſicut ipſe mediator unum cum ipſa ſuſcipiente ſapientia ſine interpoſitione alicuius mediatoris effectus, ſed filij fiunt participatione ſapientiæ, id eſt, præparante atque præſtante mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum uocat, ut Chriſtum induti ſint, qui in eum crediderunt: & ideò filij dei, fratreſque eius mediatoris effecti ſunt.*

*Quõ ſimus dei filij chriſtũ induerũt.*

Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.

*Quõ unũ in chriſto ſumus.*

*Nec Iudæus idcirco melior eſt, quia circũciſus eſt: nec gentilis ideò deterior, quia præputium habet, ſed pro qualitate fidei, uel Iudæus, uel Græcus melior, ſiue deterior eſt. Seruus quoque & liber non conditione ſeparantur, ſed fide. quia poteſt & ſeruus libero eſſe melior, & liber ſeruum in fidei qualitate præuertere. Maſculus ſimiliter & fœmina fortitudine & imbecillitate corporum ſeparantur. Cæterùm fides pro mentis deuotione cenſetur: & ſæpe uenit, ut & mulier uiro cauſa ſalutis fiat, & mulierem uir in religione præcedat. Cùm autem ita ſe res habeat, &*

*tota diuerſitas generis; conditionis, & corporum* CHRISTI *baptiſmate, & indumento illius auferatur:Omnes unum ſumus in* CHRISTO IESV, *Vt quomodo pater & filius in ſe unum ſunt; ita & nos in ipſis unum ſimus*. Et *ſi hoc facit fides, per quam in hac uita iuſtè ambulatur, quantò perfectiùs, atque cumulatiùs id ſpecies ipſa factura eſt, cùm uidebimus facie ad faciem?* Nam *nunc quamuis primitias ſpiritus habentes, qui uita eſt propter iuſtitiam fidei: tamen quia adhuc mortuum eſt corpus propter peccatum, differentia iſta, uel gentium, uel conditionis, uel ſexus, iam quidem ablata eſt ab unitate fidei, ſed manet in conuerſatione mortali, eiusque ordinem in huius uitæ itinere ſeruandum eſſe, & apoſtoli præcipiunt, qui etiam regulas ſaluberrimas tradunt, quemadmodum ſecum uiuant, & pro differentia gentis, Iudæi & Græci: & pro differentia conditionis, domini & ſerui:& pro differētia ſexus uiri & uxoris, uel ſi qua talia cætera occurrunt:& ipſe prior dominus, qui ait, Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & deo quæ dei ſunt.* Alia *ſunt enim quæ ſeruamus in unitate fidei ſine ulla diſtantia:& alia in ordine uitæ huius, tanquam in uia:ne nomen* Dei *& doctrina ſaluatoris noſtri blaſphemetur. & hoc non ſolùm propter iram, ut effugiamus offenſiones hominum: ſed etiam propter conſcientiam, ut non ſimulatè quaſi ad oculos hominum ita faciamus, ſed pura dilectionis conſcientia propter deum: qui omnes homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionē ueritatis uenire.* Illud *aūt quod ait, omnes uos unum eſtis in* Chriſto Ieſu. Et *addidit,* Si *aūt*

Tametſi oēs unum ſint ī chriſto, hoc nihilominus hoīm inter ipſos ſubiectionē nō tollit.

Math. 22.

*uos unum eſtis in Chriſto Ieſu: ergo Abrahæ ſemen eſtis.* Hic *oſtendit unum ſemen Chriſtum, non tantũ mediatorem intelligendum eſſe, uerumetiam eccleſiam, cuius ille corporis caput eſt, ut omnes in Chriſto unũ ſint, & capiant ſecundum promiſsionem hæreditatem per fidem, in qua incluſus erat: id eſt, in cuius aduentum tã quã ſub pædagago cuſtodiebatur populus uſque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem uocandi erant, qui in eodem populo ſecundum propoſitũ uocati ſunt: id eſt, qui in illa area frumentum inuenti ſunt.*

Si autem vos Chriſti: ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundum promiſſionem hęredes.

*Quare promiſſiones ad Abraham, & ſemen eius factæ ſunt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Conſequenter hi qui Chriſti filij, id eſt ſemen eius ſunt, Semen quoque dicuntur Abraham: cuius ſunt ſemen ex ſemine. Verùm quotieſcũque dominus noſter Ieſus ſemen Abrahæ nominatur; Corporaliter ſentiendum eſt, quòd ex eius ſtirpe generetur. Quoties autem nos, qui ſaluatoris ſermone ſuſcepto credidimus in eum, & nobilitatem generis Abrahæ, ad quem eſt promiſſio facta, ſuſcepimus, ſpiritaliter ſemen fidei & prædicationis accipere debemus. Deinde etiam hoc conſiderandum, quòd quando de domino loquitur, ad Abraham autem dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius, hoc eſt Chriſto Ieſu, repromiſsiones pluraliter ponat. Quando uerò de his, qui per Chriſtum ſemen ſunt Abrahæ, ſingulariter repromiſſio nuncupetur, ut in præſenti loco. Ergo Abrahæ ſemen eſtis ſecundum promiſſionem hæredes. Decẽs quippe erat, ut quod in Chriſto uno pluraliter dicebatur, id in multis homi-*

*Chriſtus ſemen Abrahæ ſecũdũ carnẽ, hoĩes ſecũdum ſpiritum.*

*nibus ſingulariter poneretur. Sequitur.*

## IN CAPVT QVARTVM.

DIco autem, quanto tempore hęres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo: cum ſit dominus omniũ: Sed ſub tutoribus, & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus a patre.

*Rectè hi ſub tutoribus & actoribus eſſe dicuntur, qui habẽtes ſpiritum timoris, nec dum meruerunt ſpiritum libertatis, & adoptionis accipere. Aetas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit eſſe ſe liberam. Licet per naturam dominus ſit, & ſecundum utranque intelligentiam qua tutores & actores uel prophetas uel angelos diximus, Paruulus iſte tã diu ſub actoribus eſt, donec legitimum perfecti uiri tẽpus impleuerit. Legitimum autem tempus ſecundũ Romanorum legem uiginti quinque annorum ſpatio terminatur: Ita ad humani generis perfectionem Chriſti reputatur aduentus. Statim ut ille uenerit, & omnes in uirum perfectum creuerimus, pædagogus à nobis, tutorq; diſcedunt. Tunc auctoritate domini, & hæreditatis poſſeſſione perfruemur, in qua priùs nati, quodam modo putabamur alieni.*

Ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis huius mundi eramus ſeruientes.

*Aliqui elementa mundi legem interpretantur Moyſi, & eloquia prophetarum, quòd per hæc quaſi initia & exordia literarum, dei timorem, qui ſapientiæ principium eſt, ſuſcipiamus. Denique ad eos qui iam deberẽt* *Prima huius loci expoſitio*

*eſſe perfecti, & ueritate neglecta adhuc diſciplinarũ principijs inhærebant, ſcribit in epiſt. ad Hebræos Apoſtolus: Etenim cum deberetis eſſe magiſtri propter tẽpus, rurſum neceſſe habetis, ut doceamini quæ ſint elementa principij ſermonum dei. Poteſt igitur, ut dicimus, Moyſi lex, & prophetæ pro elementis accipi literarum, quòd per eas ſyllabæ iungantur & nomina, & non tam ſui quàm alterius rei utilitate diſcantur: ut poſſimus orationem legere cõtextam, in qua ſenſus magis, & ordo uerborum, quàm literarum principia conſiderantur. Quòd autem legem & prophetas elementa mundi interpretati ſumus, mũdus pro his qui in mundo ſunt, accipi ſolet, Eodem Paulo dicente: Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Et in euangelio, Et mundus per eum factus eſt, & mundus eum non recepit. Quæri poteſt, quomodo ſecundum hanc ſimilitudinem ſub elementis huius mundi fuerint Iudæi, cùm illis per legem quam acceperant; unus Deus, qui fecit cœlum & terram colendus commendaretur. Sed poteſt eſſe alius exitus capituli huius: ut cùm ſuperiùs legem pædagogum fecerit, ſub quo erat ille populus Iudæorum, nunc procuratores & actores dicat elementa mundi, ſub quibus ſeruiebant: ut filius ille paruulus, id eſt populus propter unam fidem ad diuinum ſemen Abrahæ pertinens, quoniam & de Iudæis, & de Gentibus congregatus eſt, partim fuerit ſub pædagogo legis tẽpore pueritiæ ſuæ, id eſt, ex ea parte, qua de Iudæis cõgregatus eſt: parti ſub elemẽtis huius mũdi, quibus tanquã procuratoribus & actoribus ſeruiebat, ex ea parte qua de gẽtibus congregatus eſt, ut quod miſcet*

Heb. 5.

Mundus pro his, qui i mundo ſunt.

2. Cor. 5.
Ioan. 1.

Quæſtio, quã diluit aliter, quã ſupra elementa exponẽdo

*apoſtolus perſonā ſuā, Non dicens, cùm eſſetis paruuli ſub elementis huiusmundi eratis: ſed dicens, cū eſſemus paruuli ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes, non pertineat ad ſignificationem Iudæorum, ex quibus Paulus originē ducit, ſed magis ad gentium, hoc dūtaxat loco: quoniā & eorū perſonæ decēter ſe pōt adnectere, quibus ad euāgelizādū miſſus eſt. Pōt & in elemētis mūdi neomenias ſignificare, & ſabbatū. Neomeniæ enī dies ſunt lunares, quos obſeruāt Iudæi: Sabbatū uerò dies requietiōis. antequā ueniret ergo promiſsio. i. donū gratiæ dei, & purificās iuſtificaret credētes, quaſi īperfecti & paruuli per legē dei ſubiecti eramus cōſeruis, quaſi pædagogis. Libertas. n. noſtra obnoxia erat cauſa pcti. Nihil tamē de elemētis ſperabāt Iudæi, ſicut et pagani: ſed creatorē deū uenerabātur ī creatura. Deinde iā dicit, Veniēte plenitudine tēporis, deū miſiſſe filiū ſuū, ad liberandū paruū hæredem ſeruientē ex parte legi, tanquam pædagogo: ex parte elementis huius mundi, tanquam procuratoribus & actoribus.*

*Tertia expoſitio, quid per elementa deſignetur. neomeniæ Sabbatū.*

At vbi venit plenitudo tēporis, miſit deus, inquit, filiū ſuum factū ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.

*Plenitudo tēporis, eſt cōpletum tēpus, quod præfinitū fuerat à deo patre, quādo mitteret filiū ſuū, ut ex uirgine factus quaſi hō naſceretur, ſubijciens ſe legi uſq; ad tēpus baptiſmi, ut formam daret quō pctōres abluti, & à iugo legis erepti, dignatione dei eſſent filij, & adoptarentur, ſicut promiſerat, redempti ſanguine filij eius. Mulierem pro fœmina poſuit, more locutionis Hebræorum. Non enim quia de Eua dictum eſt: For-*

*Hebraica locutionis mos.*

*mauit eã in mulierẽ, iam paſſa erat cõcubitũ uiri, quod non ſcribitur paſſa, niſi cùm dimiſſi eſſent de paradiſo. Factum autem dixit, propter ſuſceptionem creaturæ; quia qui naſcuntur ex fœminis, non tunc ex deo naſcuntur, ſed tamẽ deus illos fecit, ut ſic naſci poſſent, ut omnem creaturam. Factum autem ſub lege dixit, quia & circũciſus eſt, & hoſtia pro illo legitima oblata eſt. Nec mirũ ſi & ille legis opera ſuſtinuit, ex quibus eos liberaret, qui eis ſeruiliter tenebãtur. Qui etiã mortẽ ſuſtinuit, ut ex ea liberaret eos, qui mortalitate tenebãtur*

Vt adoptionem, inquit, filiorum recipiamus. *Adoptionem propterea dixit, ut diſtinctè intelligamus unicum dei filium. Nos enim beneficio & dignatione miſericordiæ eius filij dei ſumus. Ille natura eſt filius, qui hoc eſt quod pater. Nec dicit accipiamus, ſed recipiamus, ut ſignificaret hoc nos admiſiſſe in Adam, ex quo mortales ſumus. Hoc ergo quod ait, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & ad liberandum eum populum pertinet, qui paruulus ſub pædagogo ſeruiebat: Et refertur ad id quod dixit, factũ ſub lege. Illud autẽ quod ait, ut adoptionem filiorum recipiamus, refertur ad id quod dixit, factum ex muliere. hinc enim adoptionem recipimus, quod ille unicus non dedignatus eſt participationem naturæ noſtræ factus ex muliere, ut non ſolum unigenitus eßet, ubi fratres non habet, ſed etiam primogenitus ex multis fratribus fieret: duo enim propoſuit, factum ex muliere, factum ſub lege. Sed mutato ordine reſpondit, iam illum populum adiungens, qui paruulus ſub procuratoribus & actoribus ſeruiebat, id eſt elementis huius mũdi ne reputarent ſe non eße fi-*

*lios,quia non erant ſub pædagogo.*

Quoniam autem filij dei eſtis,inquit,miſit de us ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem abba pater.

*Duo ſunt uerba,quæ poſuit, ut poſteriore interpretaretur primũ.* Nam *hoc eſt abba quod pater* . Eleganter *autem intelligitur, non fruſtrà duarum linguarum uerba poſuiſſe idem ſignificantia propter uniuerſum populum,qui de Iudæis,& de gentibus in unitatem fidei uocatus eſt:ut hebræũ uerbum ad Iudæos,græcum ad gentes:utriuſque tamen uerbi eadem ſignificatio ad eiuſdem fidei ſpiritusq́; unitatem pertineat.*Nã *& ad Romanos,ubi ſimilis quæſtio de pace in* Chriſto *Iudæorum gentiumque tractatur,*hoc *dicit.* Non *enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater.Cũ ergo dixiſſet apoſtolus,miſit deus filiũ ſuum factum ex muliere,factum ſub lege,ut eos qui ſub lege erant redimeret,[ut adoptionem filiorũ recipiamus:* Reſtabat,*ut etiam gentes,quæ non erant ſub lege,ad eãdem tamen adoptionem filiorum pertinere oſtenderet. quod de ſancti ſpiritus dono,qui omnibus datus eſt,docet.* Vnde *ſe etiam* Petrus *de baptizato incircunciſo* Centurione Cornelio *defendit apud Iudæos, qui crediderant,dicens:non ſe potuiſſe aquam negare illis,* Quo*niam ſpiritum ſanctum accepiſſe claruerat. Sic & hic, quoniam,inquit, filij dei eſtis, miſit deus ſpiritum filij ſui in corda ueſtra,clamantem* Abba *pater.* Deinde *manifeſtiſſimè oſtendit de his etiã ſe dicere,qui ex gentibus ad fidem uenerant, ad quos etiam epi-*

Abba.

Roma. 8.

Actu. 9

*ſtolam ſcribit.*

Itaque iam non eſt ſeruus,ſed filius.

*Habentes, inquit, ſpiritum filij* DEI, *clamantem in uobis abba pater,non ſerui cœpiſtis eſſe,ſed filij,qui an te nihil differebatis à ſeruo, cùm eſſetis natura quidẽ domini,ſed ſub tutoribus & actoribus paruuli degeba tis.*Nõ *eſt ſeruus,quia ſublatus de poteſtate legis ſoci us factus eſt benedictionis proprij filij dei.* Hoc *totum agit,propter id quod dixerat,quandiu hæres paruulus eſt,nihil differt à ſeruo.*

Quod ſi filius:& hæres per deum.

*Id eſt,per miſericordiã dei,non per promiſſiones patrũ, de quibus carnaliter,Sicut* Iud*æi,natus non eſſet: tamẽ filius* Abrah*æ ſecundũ imitationẽ fidei.Cuius fidei gratiam per miſericordiam domini meruiſtis.*

Sed tunc quidem neſciẽtes deum,ſeruiſtis ĳs, qui natura non erant dĳ. Nunc vero cognoſcẽ tes deum;magis autem cogniti ab eo,Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa,quibus rurſum ſeruire vultis?

*Quoniam priùs per ignorantiam peccabant ſeruientes idolis,facilè illis remiſſum ſignificat; ſicut dicit in*

Gene. 20. *Geneſi Abimelech ad* Deum:Domine:*num,inquit, gentem ignorantem perdes?*Galatas *quoque, quos ab idolorum cultu ad fidem* Dei *ueri tranſtulerat, arguit quomodo idolis derelictis, qui natura non erant dĳ:* Et *cognoſcentes* Deum, *magis autem cogniti ab eo, ſpiritu quoque adoptionis accepto,rurſum quaſi paruuli, & ſub tutoribus,& pædagogo eſſe cupientes, ad infirma & pauperrima reuertantur elemẽta,quæ pro-*

pterea infirmo & pauperi ſenſu populo data ſunt in deſerto, quia non poterant accipere & ſuſtinere maiora. Eadem autem elementa, quæ nunc infirma & egena appellauit, ſuperius tantùm mundi elementa poſuit. Et ubi elementa mundi dicta ſunt, ibi non eſt additum infirma & egena. Hic rurſum, ubi infirma uocata ſunt mūdi, ut ſuprà diximus, nomē eſt tacitū. Puto itaq; quia quamdiu quis paruulus eſt, nec ſtatū à patre tēpus impleuit, ut filius et hæres appellari queat, ſub elementis eum mūdi, lege uidelicet eſſe Moyſi. Cùm autem poſt libertatem, & adoptionem, & hæreditatem filio debitam rurſum reuerſus fuerit ad legem, circuncidi uolens, & totam Iudaicæ ſuperſtitionis literam ſequi: Tunc quæ priùs ei mundi tantū fuerant elementa, infirma quoque & egena dicuntur exordia. In tantū enim nihil proſunt cultoribus ſuis, ut ne hoc quidē eis exhibere ualeāt quod antè præſtiterāt, Hieroſolyma, tēplo, altariq; deſtructis. Illud uerò quod ait, cognoſcētes deum, magis autē cogniti ab eo; nihil nos mouere debet: Manifeſtū eſt enim quandiu per fidē ābulamus, non per ſpeciē, nondum nos cognouiſſe deū: ſed ea fide purgari, ut opportuno tēpore cognoſcere ualeamus: ſed ſi in ipſa correptione, imo aūt cogniti à Deo, autē propriè accipitur, putabitur deus quaſi ex tempore aliquid cognoſcere, quod ante non nouerat. Translatè ergo dictum eſt, ut oculos Dei accipiamus ipſam dilectionem eius, quam commendauit mittendo pro impijs occidendum unicū filium. Sic enim de his, qui diligūtur dicere ſolemus, quòd ante oculos habeātur, hoc eſt ergo cognoſcentes, imò cogniti à Deo. Quod & Ioannes dicit:

Cur priùs elementa mūdi, nūc īfirma et egena elemēta uocat apoſt.

*Non quòd nos dilexerimus deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.*

Dies obſeruatis, menſes, annos, & tempora.
*Iudæi .n. ſeruiliter obſeruãt dies, & menſes, & annos, et tẽpora in carnali obſeruatiõe ſabbati, & neomeniæ, & menſe nouorum, & ſeptimi cuiuſque anni, quem uocãt ſabbatum ſabbatorum. Quæ, quoniam erant umbræ futurorum, iam adueniente Chriſto in ſuperſtitionem remanſerunt: Cùm tanquam ſalutaria obſeruarentur à neſcientibus quò referenda ſint: ut tanquam hoc dixerit apoſtolus Gentibus, Quid prodeſt uos euaſiſſe ſeruitutẽ, qua tenebamini, cum ſeruiretis elemẽtis mũdi, quãdo rurſus ad talia reditis, ſeducti ab eis, qui nondum cognoſcentes libertatis ſuæ tempus inter cætera opera legis, quæ carnaliter ſapiunt, etiam temporibus ſeruiũt: quibus & uos rurſus, ut anteà, ſeruire uultis, & obſeruare cum eis dies, & menſes, & annos, & tempora, quibus & ſeruiebatis antequàm Chriſto crederetis.*

Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis.

*Satis uerò cautè inter auctoritatem apoſtoli & ſancti hominis lenitatem uerba moderatus eſt, inferens: Timeo uos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in uobis. Nũc autem uidens eos zelum dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam: nec penitus eorum deſperauit ſalutem, qui pio fuerant errore decepti: Nec rurſum irreprehenſos reliquit, ne & ipſis perſeuerandi in errore, & cæteris occaſionem ſimiliter tribueret errandi. Timeo autem uos poſuit pro eo quod eſt, timeo de uobis. Sine cauſa laborat magiſter, cùm ipſe prouocat ad maiora diſci-*

*pulos, & illi retro lapſi ad minora & humiliora reuoluuntur.*

Eſtote ſicut & ego, quia & ego ſicut vos.

*Id eſt obſecro uos fratres, ut iudaicas obſeruationes cõtemnatis dierum, menſium, temporum, atque annorum, quæ ſunt umbræ futurorum. me imitemini, qui ſine querela in lege uerſatus omnia arbitratus ſum quaſi purgamenta, atque quiſquilias, ut Chriſtum lucrifacerem.* Philip. 3 *Fui quippe & ego ſicut uos nunc eſtis, cùm eiſdẽ obſeruationibus ſtrictus tenebar, & eccleſiam Chriſti, quia iſta non faceret, perſequẽs deuaſtabã. qui utiq; cũ Iudæus natus ſim, iam iſta carnalia ſpiritali de diiudicatione reſpuo. Deinde opportunè ac decenter facit eos recolere charitatem ſuam, ne tanquam inimicum illum deputent. Hoc dicit, dent operam corrigendi ſe; quia nõ eſt impoßibile, ut ſint ſicut ipſe, quia & ipſe hoc erat, id eſt, homo, quod & illi: & cùm fuißet in errore perſequens eccleſiam, correptus conuertit ſe, & dicit.*

Fratres obſecro vos, nihil me læſiſtis. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem, & tẽtationem veſtrã, quæ erat in carne mea, non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut angelũ dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.

*Nũc mitiùs agit cum eis, & bona eorum incipit memorare, ut poſt magnas correptiomes bona opera ſua audiẽtes recrearentur, & data opera reformarentur, ne obiurgationibus diutius preſſi aſperiores fierent exacerbati. Et eſt ſenſus. Quando uobis primùm euan-*

*Vino cõmiſcet oleum, nẽpe eos cõmẽdatiõe de*

*mulcens, ne durior ſemper increpatio potius frāgeret.*

*gelium adnuntiaui, & propter infirmitatem carnis ueſtræ, quia non poteratis ſacramenta ſuſcipere maiora, prædicaui uobis quaſi paruulis, & meipſum infirmum eſſe ſimulaui, ut uos infirmos lucri facerem: Nonne quaſi angelum dei ſuſcepiſtis me, quaſi Chriſtum Ieſum? Cùm igitur in nullo me illo tempore læſeritis, & me ueſtri cauſa humilem atque deiectum ſimilem dei filio putaueritis, quo modo ad maiora uos prouocās lædor à uobis perdendo laborem meum, & diſpenſationem illam, qua me paruulum eſſe ſimulaueram? In eo enim lædit diſcipulus magiſtrū, ſi per negligentiam ſuam præcepta laboremque eius ſpernit.*

Et tentationem veſtram in carne mea nō ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis.

*Tentati ſunt enim cùm perſecutionem pateretur Apoſtolus, utrum timore deſererent eum, an charitate amplecterentur. Et neq; ſpreuiſtis, inquit, tanquā inutilem iſtā tentationē, neq; reſpuiſtis, ut non ſuſciperetis communionem periculi mei. Poteſt locus iſte & ita ediſſeri: Quādo ueni ad uos, nō ueni in ſermone ſapiētiæ, ſed homo humilis atq; contēptus, nihil magnum deferens niſi crucifixū. Cùm igitur me uideretis in corpore infirmitatibus obnoxio conſtitutū regna cœleſtia pollicentē, nō irriſiſtis, nec æſtimaſtis dignū eſſe contēptu. Intelligebatis quippe humilitatē carnis meæ, & ipſius habitus uilitatem, ad ueſtrā tentationē fieri. An uidelicet contēneretis eum, qui ab īcredulis miſerabilis putabatur? ſed econtrà illū humilem, uilem, atq; contemptū, ita ut angelum, & pluſquàm angelum ſuſcepiſtis. Quòd autem ait: ſed ſicut angelū dei excepiſtis me, ſicut Chriſtū Ie-*

*Tentari haud dubiè poterāt: quia fere calamitoſos uilipēdimus*

*ſum,hoc magis laudat in eis quia preßuris non deformatus eſt apud eos, ſed commendatus, Scientibus pro his qui credunt pati illum exitia. Sicut ergo angelum dei exceperunt apoſtolum; credentes dei donum eſſe quod prædicat, ſic ei deferentes quaſi auctori domino Ieſu Chriſto. Oſtendit & angelo Chriſtum eſſe maiorem; quem ſecundum diſpenſationem corporis minorẽ Pſalmiſta cantauerat dicens: Minoraſti eum paulominus ab angelis: Et tantum ſua uerba in principio ualuiſſe demonſtrat ut angeli putarentur & Chriſti. In memoriam reuocat illis tempus quando primum prædicauit illis euangelium dei. Ipſo enim tempore iniurijs agebatur Apoſtolus, & cædibus infirmabatur. Infirmus enim uidetur, qui humiliatur, & non reſiſtit propter euangelium dei. Et in hoc laudat conſcientiam eorum, quia non ſunt abſtracti à fide. Iniuria enim apoſtoli tẽtatio erat Galatarum, in qua firmi inuẽti ſunt, nõ dubitãtes de fide, poſſent enim ſcandalũ paßi dicere: Quæ eſt uirtus, aut ſpes in hac fide, quando miniſter eius ſic humiliatur? ſed quia iam animum futuris ſpebus inſerci erant præſentes exitus pro Chriſti nomine non pertimeſcebant, certi fidem noſtram non in terris, ſed in cœlis habere dignitatem, & pro his tribulationibus magna rependi præmia. Sic ruborem illis incutit, quia poſt hæc laudabilia circunuenti fuerant, ut uituperabiles uiderentur.*

Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimoniũ eñ perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.

*Oſtẽdit quanta cum charitate ſuſceperint, & quomodo*

*totos ſe eius doctrinæ tradiderint: ut quæ chariſſima ſunt corporis ſui membra eidē dare cuperent: quòd uel ſic euangelico lumini uicē redderent, ſi ſua lumina tradidiſſent. Quanuis, inquit, uos eo tempore, quo euangelium iuxta carnem ſuſceperatis, beatos dicerem, quòd in initijs feruebatis: Tamen nunc quia non uideo ædificio culmen impoſitū, & penè nequicquam iacta fundamina, cogor dicere, ubi eſt ergo beatitudo ueſtra, qua uos beatos arbitrans ante laudabā? Verè enim & ipſe fateor, quia ſic me uobis humilia prædicantē, uel perſecutionibus afflictatum in principio dilexiſtis, ut ſi fieri poßet (hyperbolicè autem ſunt accipienda quæ loquitur) eruißetis uobis oculos, & mihi, ut omnium ueſtrū luminibus plus cernerē, dediſſetis. Optabatis quippe uos cæcos eſſe per ineffabilem in me charitatem, ut plus in meo corde euangelij lumen oriretur. Emolumentū meum ueſtris damnis creſcere uolebatis, & hoc illo tempore, quo uobis quaſi paruulis atque lactentibus; ſiue propter infirmitatem carnis ueſtræ, parua et humilia adnunciabam: ſiue propter meæ carnis iniurias indignus uidebar fide. Nunc uerò quia ab elementis & ſyllabis, & lectiōe puerili cœpi uos ad maiora ſtudia prouocare, ut libros teneatis in manibus, & ut plena eruditionis et ſenſuum uerba diſcatis, recalcitratis, iraſcimini, grauis uobis uidetur eſſe perfectio doctrinarum, & intantum in alios mutati eſtis affectus, ut me, quem quaſi angelum & Chriſtum ſuſceperatis, cui uolebatis oculos tradere, nunc habeatis inimicum, quia uobis plenā adnuntio ueritatem. Eleganter autem ſententiam terminauit, dicens.*

Ergo inimicus vobis factus ſum veritatem dicens vobis?

*Hæc eſt natura ueritatis, ut eam inimicitiæ proſequantur, ſicut per adulationem pernicioſæ amicitiæ conſequuntur. libenter enim quod delectat auditur, offendit omne quod nolumus. Sicut & hi diligere cœperãt ſabbati otium, & dies feſtorum, epulas prædicantes cõtra apoſtolum, qui omnem continẽtiam ſuo docebat exemplo.* *Veritas odium pa rit.*

Aemulantur vos non bene.

*Id eſt inuident uobis, qui uos carnales de ſpiritalibus uolunt facere.* Hoc eſt *æmulantur non bene, inuidia Iudæorum ſubuerſos eos ſignificat. Vidẽtes enim ſic illos proficere in euangelio, & tantam habere charitatem in apoſtolum id egerunt, quatinus illos deciperent. Erant enim legis cauſa apoſtolo inimici, ut manẽte nomine ſaluatoris, facerent eos Iudæos, gaudentes in euerſione eorum. Non enim patiebantur, ut gratiam promiſſam audirent incircuncisis gẽtibus datam. Ideò imitatores ſuos illos uoluerũt fieri, ut more eorum circunciderẽtur.* *Mira uis inuidiæ.*

Sed excludere, inquit, vos volunt: vt illos æmulemini.

*Hoc eſt, imitemini. Quomodò, niſi ut ſeruitutis iugo detineamini, ſicut ipſi detinentur? loquitur itaque Galatis; qui ab adſertoribus legis inducti fuerant, ut eos imitarentur, Cùm illi potius Galatas debuerint imitari: quia naturale eſt, maiorem de minore, non minorem fieri de maiore.*

Bonum æmulemini in bono ſemper.

*Id eſt nolite adſertores iudaicæ obſeruationis imitari;*

*ſed ea quæ bona ſunt imitemini. Quomodo enim qui diuitias, potentiam, dignitatem, alicuius imitatur, non tã bona, quàm ea, quæ fuginda ſunt, æmulatur: Ita & uos econtrariò bonum æmulemini in bono, magis quærentes ſpiritalia, quàm carnalia: ut non illi uos Iudæos, ſed uos illos chriſtianos eſſe doceatis. Hoc autem facite ſemper, ut perſeueranti gradu ad finem boni operis peruenire poßitis. Aemulemini ſiquidem bonũ in bono, ut priùs cum apud uos eſſem, qui poſtquam à uobis receßi, omnia quæ credideram perdidiſtis, de ſtatione certa et fido portu rurſum in altum unda relabente ſubſtaacti. Nec mirum, ſi recedente apoſtolo, uaſe electionis, & in quo Chriſtus dominus loquebatur, Galatæ ſunt mutati: Cùm etiam nunc cernamus in eccleſijs id ipſum fieri. Volẽs igitur Paulus oſtendere magiſtrorũ pro diſcipulis ſollicitudinem, quos patiãtur affectus, ne ſectatores ſui excidant à ſalute, ait.*

Filioli mei, quos iterum parturio.

*Per euangelium in lucem producti, & per doctrinam geniti, Iterum me dolorem ſuſtinere feciſtis; oſtendit per pœnitentiam eos poſſe renaſci. Qui enim in alio loco, quaſi pater dixerat. Si decem milia pædagogorũ habeatis in* CHRISTO, *ſed non multos patres, iam non quaſi pater, ſed ut mater loquitur in Chriſto, ut utriuſque anxietatem & pietatem in ſe parentis agnoſcant.* (1. Cor. 4.)

Donec formetur Chriſtus in vobis.

*Formatur enim* CHRISTVS *in eo, qui formam accepit Chriſti. Formam autem accipit Chriſti, qui adhæret* CHRISTO, *dilectione ſpritali. Ex hoc*

*enim ſit, ut eius imitatione ſit quod ille, quantùm gra du ſuo ſinitur. Qui enim dicit ſe in Chriſto (ait Ioannes) manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare.* 1. Ioan. 2. *Sed cùm homines à matribus concipiantur, ut formentur, iam formati autem parturiantur; ut naſcantur, poteſt mouere quod dictum eſt, quos ite rum parturio donec Chriſtus formetur in uobis, niſi parturitionem hanc pro curarum angoribus poſitam intelligamus, quibus eos parturiuit; ut naſcerentur in* CHRISTO. *Et iterum parturit propter pericula ſeductionis, quibus eos conturbari uidet. ſollicitudo autem illa, & cura de illis, qua ſe quodammodo parturire dicit, tam diu eſſe poterit, donec perueniant in menſuram ætatis plenitudinis* CHRISTI, *ut iam non moueantur omni uento doctrinæ. Non ergo pro pter initium fidei, quoniam nati erant, ſed proper ro bur, & perfectionem dictum eſt, donec formetur Chriſtus in uobis. Siue aliter formatur* CHRISTVS *in corde credentium, cùm omnia illis ſacramenta panduntur, & ea quæ obſcura uidebantur, perſpicua fiunt.*

Vellem autem eſſe apud vos, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.

*Quid aliud intelligatur, niſi quia filiolos ſuos eſſe dixerat, parcens eis, fortaſſe ne ſeueriore obiurgatione commoti facilè in eis odium traduceretur à deceptoribus illis, quibus abſens non poſſet reſiſtere, non uideo. Vellem ergo, inquit, nunc adeſſe apud uos; & mutare uocem meam, id eſt, negare uos filios, quia confundor in uobis. Malos.n. filios, ne de his erubeſcāt, etiā paētes*

*abdicare ſolent, quia ſcribere tanta non poſſum, quanta uos audire meremini quoniã epiſtola non poteſt uocem obiurgantis exprimere:* Non *ualet iraſcentis reſonare clamorem, & dolorem pectoris apicibus explicare: quia detrimentum diſcipulorum confuſio & opprobrium eſt magiſtri; ſicut profectus eorum gloria eſt præceptoris. Confunditur ergo in eis, quia iam filij facti, ſerui eſſe deſierant.*

Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non audiſtis?

*Quis uere legem audiat.*

*Notandum legem hic dictam eſſe Geneſeos hiſtoriam, non ut uulgò æſtimant, quæ facienda ſint, quæue uitanda, ſed totum quod de Abraham & eius uxoribus liberiſque contexitur, legem appellatam. Legimus & in alio loco prophetas quoque legem uocari. Audit ergo legem, qui iuxta Paulum non ſuperficiem, ſed in medullam eius introſpicit. Non audit legem, qui ſimilis Galatis exteriorem tantum corticem ſequitur.*

Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit: vnũ de ancilla, & vnũ de libera.

*De duobus filijs Abrahæ quod dicit, facilè intelligitur. Nam & ipſe apoſtolus interpretatur hanc allegoriam. Per hos enim duos filios Abraham duo teſtamenta ſignificata ſunt. Poſt mortem autem Sarræ, quos de alia uxore genuit, non pertinent ad hanc ſignificationem. Et ideò multi legentes Apoſtolum, librum autem Geneſeos ignorantes, putant ſolos duos filios habuiſſe Abraham. Hos ergo ſolos commemorat Apoſtolus, quia ſolos adhuc habebat, cùm hæc ſignificarentur, quæ conſequentur exponit. Quòd ille de ancilla, quæ Agar uoca*

*batur, uetus teſtamentum ſignificat, id eſt populum ueteris teſtamenti, propter iugum ſeruile carnaliū obſeruationū, & promiſſa terrena, quibus irretiti, & quæ tātummodò ſperantes de deo, non admittuntur ad hæreditatem ſpiritalem cœleſtis patrimonij. Non autem ſufficit quod de libera uxore natus eſt Iſaac ad ſignificādum populum hæredem noui teſtamenti: ſed plus hic ualet quòd ſecundum promiſſionem natus eſt. Ille autē & de ancilla, & ſecundum carnem, & de libera naſci potuit ſecundū carnem: Sicut & Cethura, quam poſteà duxit Abraham, non ſecundum promiſſionem, ſed ſecundū carnem ſuſcepit filios. Iſaac enim mirabiliter natus eſt per repromiſſionem, cùm ambo parentes ſenuiſſent. Quòd ſi data per apoſtolum fiducia, qua duos illos allegoricè accipiendos apertiſſimè oſtendit, Voluerit aliquis etiam Cethuræ filios in aliqua rerum ſigura futurarum inſpicere (Non fruſtrà de talibus perſonis, ad miniſtratiōe ſpiritus ſancti, hæc geſta cōſcripta ſunt) Inueniet fortaſſè hæreſes, & ſciſmata ſignificari: quia ij filij de libera quidem, ſicut iſti de eccleſia, ſed tamē ſecundum carnem nati ſunt.*

*Per Cethuræ filios hereticos & ſciſmaticos exponit.*

Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: Qui autem de libera, per repromiſſionem.

*Nimiæ difficultatis eſt demonſtrare Iſaac tantùm, qui de Sarra natus eſt, fuiſſe de repromiſſione generatum: Et non etiam Iſmael, qui de Agar ancilla eſt ortus Aegyptia. Scriptura quippe refert, quòd cùm perſequente Sarra, Agar fœta fugiſſet, & ueniſſet ad eam angelus in deſerto, moneretq́; ut ſubijceretur dominæ pote-* *Gene. 16*

*ſtolam ſcribit.*

Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius.

*Habentes, inquit, ſpiritum filij* DEI, *clamantem in uobis abba pater, non ſerui cœpiſtis eſſe, ſed filij, qui ante nihil differebatis à ſeruo, cùm eßetis natura quidẽ domini, ſed ſub tutoribus & actoribus paruuli degebatis. Nõ eſt ſeruus, quia ſublatus de poteſtate legis ſocius factus eſt benedictionis proprij filij dei. Hoc totum agit, propter id quod dixerat, quandiu hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo.*

Quod ſi filius: & hæres per deum.

*Id eſt, per miſericordiã dei, non per promißiones patrũ, de quibus carnaliter, Sicut* Iudæi, *natus non eſſet: tamẽ filius Abrahæ ſecundũ imitationẽ fidei. Cuius fidei gratiam per miſericordiam domini meruiſtis.*

Sed tunc quidem neſciẽtes deum, ſeruiſtis ĳs, qui natura non erant dĳ. Nunc vero cognoſcẽtes deum, magis autem cogniti ab eo, Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus rurſum ſeruire vultis?

*Quoniam priùs per ignorantiam peccabant ſeruientes idolis, facilè illis remiſſum ſignificat; ſicut dicit in*
Gene. 20. *Geneſi Abimelech ad* Deum: Domine: *num, inquit, gentem ignorantem perdes?* Galatas *quoque, quos ab idolorum cultu ad fidem* Dei *ueri transtulerat, arguit quomodo idolis derelictis, qui natura non erant dij:* Et *cognoſcentes* Deum, *magis autem cogniti ab eo, ſpiritu quoque adoptionis accepto, rurſum quaſi paruuli, & ſub tutoribus, & pædagogo eſſe cupientes, ad infirma & pauperrima reuertantur elemẽta, quæ pro-*

*pterea infirmo & pauperi ſenſu populo data ſunt in deſerto, quia non poterant accipere & ſuſtinere maiora*. Eadem autem elementa, *quæ nunc infirma & egena appellauit, ſuperiùs tantùm mundi elementa poſuit*. Et *ubi elementa mundi dicta ſunt, ibi non eſt additum infirma & egena. Hic rurſum, ubi infirma uocata ſunt mūdi, ut ſuprà diximus, nomē eſt tacitū*. Puto itaq; *quia quamdiu quis paruulus eſt, nec ſtatū à patre tēpus impleuit, ut filius et hæres appellari queat, ſub elementis eum mūdi, lege uidelicet eſſe* Moyſi. *Cùm autem poſt libertatem, & adoptionem, & hæreditatem filio debitam rurſum reuerſus fuerit ad legem, circuncidi uolens, & totam Iudaicæ ſuperſtitionis literam ſequi*: *Tunc quæ priùs ei mundi tantū fuerant elementa, infirma quoque & egena dicuntur exordia*. In *tantū enim nihil proſunt cultoribus ſuis, ut ne hoc quidē eis exhibere ualeāt quod antè præſtiterāt*, Hieroſolyma, *tēplo, altariq; deſtructis*. Illud *uerò quod ait, cognoſcētes deum, magis autē cogniti ab eo; nihil nos mouere debet*: Manifeſtū *eſt enim quandiu per fidē ābulamus, non per ſpeciē, nondum nos cognouiſſe deū: ſed ea fide purgari, ut opportuno tēpore cognoſcere ualeamus: ſed ſi in ipſa correptione, imo aūt cogniti à* Deo, *autē propriè accipitur, putabitur deus quaſi ex tempore aliquid cognoſcere, quod ante non nouerat*. Translatè *ergo dictum eſt, ut oculos* Dei *accipiamus ipſam dilectionem eius, quam commendauit mittendo pro impijs occidendum unicū filium*. Sic *enim de his, qui diligūtur dicere ſolemus, quod ante oculos habeātur, hoc eſt ergo cognoſcentes, imò cogniti à* Deo. Quod & Ioannes *dicit*:

*Cur priꝰ elementa mūdi, nūc īfirma et egena elemēta uocat poſt.*

*Non quòd nos dilexerimus deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.*

Dies obſeruatis, menſes, annos, & tempora. *Iudæi.n. ſeruiliter obſeruãt dies, & menſes, & annos, et tẽpora in carnali obſeruatiõe ſabbati, & neomeniæ, & menſe nouorum, & ſeptimi cuiuſque anni, quem uocãt ſabbatum ſabbatorum. Quæ, quoniam erant umbræ futurorum, iam adueniente Chriſto in ſuperſtitionem re m inſerunt: Cùm tanquam ſalutaria obſeruarentur à neſcientibus quò referenda ſint: ut tanquam hoc dixerit apoſtolus Gentibus, Quid prodeſt uos euaſiſſe ſeruitutẽ, qua tenebamini, cum ſeruiretis elemẽtis mũdi, quãdo rurſus ad talia reditis, ſeducti ab eis, qui nondum cognoſcentes libertatis ſuæ tempus inter cætera opera legis, quæ carnaliter ſapiunt, etiam temporibus ſeruiũt: quibus & uos rurſus, ut anteà, ſeruire uultis, & obſeruare cum eis dies, & menſes, & annos, & tempora, quibus & ſeruiebatis antequàm Chriſto crederetis.*

Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis.

*Satis uerò cautè inter auctoritatem apoſtoli & ſancti hominis lenitatem uerba moderatus eſt, inferens: Timeo uos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in uobis. Nũc autem uidens eos zelum dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam; nec penitus eorum deſperauit ſalutem, qui pio fuerant errore decepti: Nec rurſum irreprehenſos reliquit, ne & ipſis perſeuerandi in errore, & cæteris occaſionem ſimiliter tribueret errandi. Timeo autem uos poſuit pro eo quod eſt, timeo de uobis. Sine cauſa laborat magiſter, cùm ipſe prouocat ad maiora diſci-*

*pulos, & illi retro lapſi ad minora & humiliora reuoluuntur.*

Eſtore ſicut & ego, quia & ego ſicut vos.

*Id eſt obſecro uos fratres, ut iudaicas obſeruationes cõtemnatis dierum, menſium, temporum, atque annorum, quæ ſunt umbræ futurorum. me imitemini, qui ſine querela in lege uerſatus omnia arbitratus ſum quaſi purgamenta, atque quiſquilias, ut Chriſtum lucrifacerem. Fui quippe & ego ſicut uos nunc eſtis, cùm eiſdẽ obſeruationibus ſtrictus tenebar, & eccleſiam Chriſti, quia iſta non faceret, perſequẽs deuaſtabã. qui utiq; cũ Iudæus natus ſim, iam iſta carnalia ſpiritali de diiudicatione reſpuo. Deinde opportunè ac decenter facit eos recolere charitatem ſuam, ne tanquam inimicum illum deputent. Hoc dicit, dent operam corrigendi ſe; quia nõ eſt impoßibile, ut ſint ſicut ipſe, quia & ipſe hoc erat, id eſt, homo, quod & illi: & cùm fuißet in errore perſequens eccleſiam, correptus conuertit ſe, & dicit.* Philip. 3

Fratres obſecro vos, nihil me læſiſtis. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem, & tẽtationem veſtrã, quæ erat in carne mea, non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut angelũ dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.

*Nũc mitiùs agit cum eis, & bona eorum incipit memorare, ut poſt magnas correptiones bona opera ſua audiẽtes recrearentur, & data opera reformarentur, ne obiurgationibus diutius preſſi aſperiores fierent exacerbati. Et eſt ſenſus. Quando uobis primùm euan-*

*Vino cõmiſcet olei um, nẽpe eos cõmẽdatiõe de*

*mulcens; ne durior ſemper in crepatio potius frãgeret.*

*gelium adnuntiaui, & propter infirmitatem carnis ueſtræ, quia non poteratis ſacramenta ſuſcipere maiora, prædicaui uobis quaſi paruulis, & meipſum infirmum eſſe ſimulaui, ut uos infirmos lucri facerem:* Non ne quaſi angelum dei ſuſcepiſtis me, quaſi Chriſtum Ieſum? *Cùm igitur in nullo me illo tempore læſeritis, & me ueſtri cauſa humilem atque deiectum ſimilem dei filio putaueritis, quo modo ad maiora uos prouocãs lædor à uobis perdendo laborem meum, & diſpenſationem illam, qua me paruulum eſſe ſimulaueram? In eo enim lædit diſcipulus magiſtrũ, ſi per negligentiam ſuam præcepta laboremque eius ſpernit.*

Et tentationem veſtram in carne mea nõ ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis.

*Tentati ſunt enim cùm perſecutionem pateretur Apoſtolus, utrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur. Et neq; ſpreuiſtis, inquit, tanquã inutilem iſtã tentationẽ, neq; reſpuiſtis, ut non ſuſciperetis communionem periculi mei. Poteſt locus iſte & ita ediſſeri: Quãdo ueni ad uos, nõ ueni in ſermone ſapiẽtiæ, ſed homo humilis atq; contẽptus, nihil magnum deferens niſi crucifixũ. Cùm igitur me uideretis in corpore infirmitatibus obnoxio conſtitutũ regna cœleſtia pollicentẽ, nõ irriſiſtis, nec æſtimaſtis dignũ eſſe contẽptu. Intelligebatis quippe humilitatẽ carnis meæ, & ipſius habitus uilitatem, ad ueſtrã tentationẽ fieri. An uidelicet contẽneretis eum, qui ab icredulis miſerabilis putabatur? ſed econtrà illũ humilem, uilem, atq; contemptũ, ita ut angelum, & pluſquàm angelum ſuſcepiſtis. Quòd autem ait: ſed ſicut angelũ dei excepiſtis me, ſicut Chriſtũ Ie-*

*Tentari haud dubiè poterãt: quia fere cala mitoſos uilipẽdimus*

*ſum,hoc magis laudat in eis quia preßuris non deformatus eſt apud eos, ſed commendatus, Scientibus pro his qui credunt pati illum exitia. Sicut ergo angelum dei exceperunt apoſtolum; credentes dei donum eſſe quod prædicat,ſic ei deferentes quaſi auctori domino Ieſu Chriſto. Oſtendit & angelo Chriſtum eſſe maiorem; quem ſecundum diſpenſationem corporis minorē Pſalmiſta cantauerat dicens: Minoraſti eum paulominus ab angelis:Et tantum ſua uerba in principio ualuiſſe demonſtrat ut angeli putarentur & Chriſti. In memoriam reuocat illis tempus quando primum prædicauit illis euangelium dei. Ipſo enim tempore iniurijs agebatur Apoſtolus, & cædibus infirmabatur. Infirmus enim uidetur, qui humiliatur, & non reſiſtit propter euangelium dei. Et in hoc laudat conſcientiam eorum, quia non ſunt abſtracti à fide.Iniuria enim apoſtoli tētatio eratGalatarum,in qua firmi inuēti ſunt,nō dubitātes de fide,poſſent enim ſcandalū paßi dicere: Quæ eſt uirtus,aut ſpes in hac fide,quando miniſter eius ſic humiliatur? ſed quia iam animum futuris ſpebus inſerci erant præſentes exitus pro Chriſti nomine non pertimeſcebant,certi fidem noſtram non in terris, ſed in cælis habere dignitatem,& pro his tribulationibus magna rependi præmia.Sic ruborem illis incutit,quia poſt hæc laudabilia circunuenti fuerant, ut uituperabiles uiderentur.*

Vbi eſt ego beatitudoveſtra?Teſtimoniū em̄ perhibeo vobis,quia ſi fieri poſſet oculos veſtros eruiſſetis,& dediſſetis mihi.

*Oſtēdit quanta eum charitate ſuſceperint,& quomodo*

*totos ſe eius doctrinæ tradiderint: ut quæ chariſſima ſunt corporis ſui membra eidē dare cuperent: quòd uel ſic euangelico lumini uicē redderent, ſi ſua lumina tradidiſſent. Quanuis, inquit, uos eo tempore, quo euangelium iuxta carnem ſuſceperatis, beatos dicerem, quòd in initijs feruebatis: Tamen nunc quia non uideo ædificio culmen impoſitū, & penè nequicquam iacta fundamina, cogor dicere, ubi eſt ergo beatitudo ueſtra, qua uos beatos arbitrans ante laudabā? Verè enim & ipſe fateor, quia ſic me uobis humilia prædicantē, uel perſecutionibus afflictatum in principio dilexiſtis, ut ſi fieri poßet (hyperbolicè autem ſunt accipienda quæ loquitur) eruißetis uobis oculos, & mihi, ut omnium ueſtrū luminibus plus cernerē, dediſſetis. Optabatis quippe uos cæcos eſſe per ineffabilem in me charitatem, ut plus in meo corde euangelij lumen oriretur. Emolumentū meum ueſtris damnis creſcere uolebatis, & hoc illo tempore, quo uobis quaſi paruulis atque lactentibus, ſiue propter infirmitatem carnis ueſtræ, parua et humilia adnunciabam: ſiue propter meæ carnis iniurias indignus uidebar fide. Nunc uerò quia ab elementis & ſyllabis, & lectiōe puerili cœpi uos ad maiora ſtudia prouocare, ut libros teneatis in manibus, & ut plena eruditionis et ſenſuum uerba diſcatis, recalcitratis, iraſcimini, grauis uobis uidetur eſſe perfectio doctrinarum, & intantum in alios mutati eſtis affectus, ut me, quem quaſi angelum & Chriſtum ſuſceperatis, cui uolebatis oculos tradere, nunc habeatis inimicum, quia uobis plenā adnuntio ueritatem. Eleganter autem ſententiam terminauit, dicens.*

Ergo inimicus vobis factus ſum veritatem dicens vobis?

*Hæc eſt natura ueritatis, ut eam inimicitiæ proſequan tur, ſicut per adulationem pernicioſæ amicitiæ conſe- quuntur. libenter enim quod delectat auditur, offendit omne quod nolumus. Sicut & hi diligere cœperãt ſab bati otium, & dies feſtorum, epulas prædicantes cõtra apoſtolum, qui omnem continẽtiam ſuo docebat ex- emplo.* Veritas odium pa rit.

Aemulantur vos non bene.

*Id eſt inuident uobis, qui uos carnales de ſpiritalibus uo lunt facere. Hoc eſt æmulantur non bene, inuidia Iudæo rum ſubuerſos eos ſignificat. Vidẽtes enim ſic illos pro ficere in euangelio, & tantam habere charitatem in apoſtolum id egerunt, quatinus illos deciperent. Erant enim legis cauſa apoſtolo inimici, ut manẽte nomine ſal uatoris, facerent eos Iudæos, gaudentes in euerſione eo rum. Non enim patiebantur, ut gratiam promißam au dirent incircunciſis gẽtibus datam. Ideò imitatores ſu os illos uoluerũt fieri, ut more eorum circunciderẽtur.* Mira uis inuidiæ.

Sed excludere, inquit, vos volunt: vt illos æmulemini.

*Hoc eſt, imitemini. Quomodò, niſi ut ſeruitutis iugo de tineamini, ſicut ipſi detinentur? loquitur itaque Gala- tis; qui ab adſertoribus legis inducti fuerant, ut eos imi tarentur, Cùm illi potius Galatas debuerint imitari: quia naturale eſt, maiorem de minore, non minorem fie ri de maiore.*

Bonum æmulemini in bono ſemper.

*Id eſt nolite adſertores iudaicæ obſeruationis imitari;*

*ſed ea quæ bona ſunt imitemini. Quomodo enim qui di uitias, potentiam, dignitatem, alicuius imitatur, non tã bona, quàm ea, quæ fuginda ſunt, æmulatur: Ita & uos econtrariò bonum æmulemini in bono, magis quærentes ſpiritalia, quàm carnalia: ut non illi uos Iudæos, ſed uos illos chriſtianos eſſe doceatis. Hoc autem facite ſemper, ut perſeueranti gradu ad finem boni operis peruenire poſſitis. Aemulemini ſiquidem bonũ in bono, ut priùs cum apud uos eſſem, qui poſtquam à uobis receſſi, omnia quæ credideram perdidiſtis, de ſtatione certa et fido portu rurſum in altum unda relabente ſubſtaacti. Nec mirum, ſi recedente apoſtolo, uaſe electionis, & in quo Chriſtus dominus loquebatur, Galatæ ſunt mutati: Cùm etiam nunc cernamus in eccleſijs id ipſum fieri. Volẽs igitur Paulus oſtendere magiſtrorũ pro diſcipulis ſollicitudinem, quos patiãtur affectus, ne ſectatores ſui excidant à ſalute, ait.*

Filioli mei, quos iterum parturio.

*Per euangelium in lucem producti, & per doctrinam geniti, Iterum me dolorem ſuſtinere feciſtis; oſtendit per pœnitentiam eos poſſe renaſci. Qui enim in alio lo-* 1. Cor. 4. *co, quaſi pater dixerat. Si decem milia pædagogorũ habeatis in* CHRISTO, *ſed non multos patres, iam non quaſi pater, ſed ut mater loquitur in Chriſto, ut utriuſque anxietatem & pietatem in ſe parentis agnoſcant.*

Donec formetur Chriſtus in vobis.

*Formatur enim* CHRISTVS *in eo, qui formam accepit Chriſti. Formam autem accipit Chriſti, qui adhæret* CHRISTO, *dilectione ſpritali, Ex hoc*

*enim fit, ut eius imitatione ſit quod ille, quantùm gra du ſuo ſinitur. Qui enim dicit ſe in Chriſto (ait Io- annes) manere, debet quomodo ille ambulauit, & ip- ſe ambulare. Sed cùm homines à matribus concipian- tur, ut formentur, iam formati autem parturiantur; ut naſcantur, poteſt mouere quod dictum eſt, quos ite rum parturio donec Chriſtus formetur in uobis, niſi parturitionem hanc pro curarum angoribus poſitam intelligamus, quibus eos parturiuit, ut naſcerentur in* CHRISTO. *Et iterum parturit propter pericula ſeductionis, quibus eos conturbari uidet. ſollicitudo au- tem illa, & cura de illis, qua ſe quodammodo partu- rire dicit, tam diu eſſe poterit, donec perueniant in menſuram ætatis plenitudinis* CHRISTI, *ut iam non moueontur omni uento doctrinæ. Non ergo pro pter initium fidei, quoniam nati erant, ſed proper ro bur, & perfectionem dictum eſt, donec formetur Chriſtus in uobis. Siue aliter formatur* CHRISTVS *in corde credentium, cùm omnia illis ſacramenta panduntur, & ea quæ obſcura uidebantur, perſpi- cua ſiunt.* 1. Ioan. 2.

Vellem autem eſſe apud vos, & mutare vo- cem meam, quoniam confundor in vobis.

*Quid aliud intelligatur, niſi quia filiolos ſuos eſſe di- xerat, parcens eis, fortaſſe ne ſeueriore obiurgatione commoti facilè in eis odium traduceretur à deceptori- bus illis, quibus abſens non poſſet reſiſtere, non uideo. Vellem ergo, inquit, nunc adeſſe apud nos; & mutare uocem meam, id eſt, negare uos filios, quia confundor in uobis. Malos.n. filios, ne de his erubeſcāt, etiā paētes*

*batur, uetus teſtamentum ſignificat, id eſt populum ueteris teſtamenti, propter iugum ſeruile carnaliũ obſeruationũ, & promiſſa terrena, quibus irretiti, & quæ tãtummodò ſperantes de deo, non admittuntur ad hæreditatem ſpiritalem cœleſtis patrimonij.* Non *autem ſufficit quod de libera uxore natus eſt Iſaac ad ſignificãdum populum hæredem noui teſtamenti: ſed plus hic ualet quòd ſecundum promiſſionem natus eſt. Ille autẽ & de ancilla, & ſecundum carnem, & de libera naſci potuit ſecundũ carnem: Sicut & Cethura, quam poſteà duxit Abraham, non ſecundum promiſſionem, ſed ſecundũ carnem ſuſcepit filios. Iſaac enim mirabiliter natus eſt per repromiſſionem, cùm ambo parentes ſenuiſſent. Quòd ſi data per apoſtolum fiducia, qua duos illos allegoricè accipiendos apertiſſimè oſtendit, Voluerit aliquis etiam Cethuræ filios in aliqua rerum figura futurarum inſpicere* (Non *fruſtrà de talibus perſonis, ad miniſtratiõe ſpiritus ſancti, hæc geſta cõſcripta ſunt*) *Inueniet fortaſsè hæreſes, & ſciſmata ſignificari: quia ij filij de libera quidem, ſicut iſti de eccleſia, ſed tamẽ ſecundum carnem nati ſunt.*

*Per Cethuræ filios hæreticos & ſciſmaticos exponit.*

Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: Qui autem de libera, per repromiſſionem.

*Nimiæ difficultatis eſt demonſtrare Iſaac tantùm, qui de Sarra natus eſt, fuiſſe de repromiſſione generatum: Et non etiam Iſmael, qui de Agar ancilla eſt ortus Aegyptia. Scriptura quippe refert, quòd cùm perſequente Sarra, Agar fœta fugiſſet, & ueniſſet ad eam angelus in deſerto, moneretq́; ut ſubijceretur dominæ pote-*

Gene. 16

*ſtati, Idem ipſe angelus etiam hæc locutus ſit: Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Et poſteà de Iſmaeli (*quæ utique repromiſsionis uerba nemo dubitaret*) *Iſte erit ruſticanus homo: Manus eius ſuper omnes, & manus omnium ſuper eum, & contra faciem omnium fratrum ſuorum habitabit. Sed & hoc dici poteſt, de Iſmaele poſt conceptum eius uel angelum, uel Deum locutum. De Iſaac uerò antequam in Sarræ utero conciperetur, Deum fuiſſe pollicitum. Iſmael, carnis filius: Iſaac fidei fuit. Illum enim Abraham ſecundum carnalem conſuetudinē genuit: Iſtum contra naturam ſenilem, per repromiſsionem credendo ſuſcepit.*

Moralis expoſitio. *Qui ſunt ſecundum carnem nati, niſi dilectores mundi? Qui ſunt per repromiſſionem nati, niſi amatores regni cœlorum, Quia & ipſi promiſſum eſt, deſiderātes uitam æternam, gratis colentes Deum? Nunc interim breuiter ad altiora tendendum eſt, ut dicamus unumquenque noſtrum primùm nō iuxta repromiſsionem naſci, quandiu ſcripturarum uerbis ſimplicibus inſtruitur, adhuc expoſitionibus delectatur. Quando uerò ad ſublimiora tranſcenderit, & legē intellexerit ſpiritalem, tūc eum de repromiſsione generari: Et ut apertiùs loquar, quotidiè eos, qui faciunt opera Abrahæ, de Abraham naſci: Verùm illos qui habent ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ex ancilla generari Aegyptia.*

• Quæ ſunt per allegoriam dicta.

*allegoria quid, & quō fiat.* *Allegoria propriè de arte grāmatica eſt, hoc eſt aliud ex alio figuratū. Dedit regulā apoſtolus quō allegorizare debemus. Scilicet ut manēte ueritate hiſtoriæ, fi-*

*guras intelligamus.Nam cũ dixiſſet Abrahã uerè duas uxores habuiſſe,poſteà quid hæ ipſæ figurarẽt oſtendit.Et hoc ipum facit,ubi aliqua ſanctorum honeſta facta referũtur,non ubi peccata dãnantur. Cæterũ dere licta miſteria dicere, deũ aut impoſsibilitatis, aut ignorãtiæ notare eſt, quia aut aliter ſacramenta ſua monſtrare nõ potuerit,aut neſciens ſibi neceſſaria, peccata quorundã anteà generaliter condẽnauerit.Deinde uel poſteà ea non reprehendiſſet,& uidicaſſet,ſi illa propter miſteria ſua fieri ipſe uoluiſſet.Præcepta uerò difficilè inuenies ita interpretata,ne eorum uirtutem euacuare uideretur.*

Hęc em̃ ſunt duo teſtamẽta. Vnum quidẽ in mõte Sina,in ſeruitutẽ generãs,quę eſt Agar. Sina em̃ mõs eſt in Arabia,qui cõterminus eſt ei,quę nũc eſt Hieruſalẽ,& ſeruit cũ filijs ſuis.

*Penè cunctorum ſuper hoc loco iſta eſt explanatio,ut Agar ancillã interpretẽtur in lege et in populo Iudæorũ :Sarrã aũt liberã in eccleſia quæ de gẽtibus congregata eſt,quæ mater ſanctorũ ſit,Paulo dicẽte,Quæ eſt mater omniũ noſtrum.Hæc diu non peperit,antequàm Chriſtus de uirgine naſceretur & ſterilis fuit,necdũ riſus mundi Iſaac de electo patre cũ uoce ſublimiũ dogmatum agnitus erat. Reſonare ſiquidem Abraham in noſtra lingua pater electus cum ſonitu refertur. Agar autem quæ interpretatur incolatus, ſiue peregrinatio, ſiue mora generat Iſmaelem, qui tantum audiat Dei præcepa,nec faciat:hominem ruſticũ,ſanguinariũ,deſerta ſectantẽ,qui uniuerſis fratribus ſuis de libera procreatis inimicus ſit,et aduerſa eis frõte cõſiſtat.*

*Abrahã.*

*Agar.*

*Nec mirum uetus teſtamentum, quod in monte Sina, qui eſt in Arabia, & confinis eſt ei, quæ nūc eſt Hieruſalem; conſtitutū eſt atque cōſcriptum, non eſſe perpetuum: cū & incolatus à perpetua poſſeſſione diuerſus ſit: & Sinai montis nomen tentationem ſonet, & Arabia ſignificet occaſum.*

*Sinai.*
*Arabia.*

Illa autem, quæ ſurſum eſt, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.

*Ideò cœleſtem Hieruſalem Sarra ſignificat, quæ diu deſerta eſt à concubitu uiri propter cognitam ſterilitatem, quoniam noui teſtamenti populus, quanuis ſit nouus, prædeſtinatio tamen eius apud Deum, & ipſa Hieruſalem cœleſtis antiqua eſt. Hanc terrenam Hieruſalem uirum habere dicit, quia ſecundum carnē generat. Illam autem cœleſtem Hieruſalem, quam dicit matrem noſtram, ſterilem appellat, quia non parit ſecundū carnem, nec dolores patitur, hoc eſt non parturit: generat autem ſine paßione ſpiritaliter exclamans in lætitiam. Hæc autem Hieruſalem, quæ in præſenti eſt, deorſum & humili, infimoq; loco dimerſa eſt.*

Scriptum eſt autem Lętare ſterilis, quę non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii deſertę magis quam eius, quę habet virum.

*Virum habuit ſynagoga legem, & iuxta Annæ quoq; prophetiam, fœtoſa quondam in liberis fuit. Sterilis uerò eccleſia ſine uiro Chriſto, ſine ullo ſponſi ſermonis alloquio, diu iacuit in deſerto. Sed poſtquàm accepit illa librum repudij in manus ſuas, & omnia ornamēta uiri in idoli uertit ornatum: tunc maritus priori cingu-*

*lo putreſcente, alium lumbis ſuis balteum, aliud de gentibus lumbare contexuit. Vnde hæc ſtatim ut eſt uiro iuncta concepit & peperit:* Et in Eſaia *exclamat dominus per prophetam, Si eſt gens nata ſimul, quando una die in* Actibus *apoſtolorum, tria milia & quinque milia hominum crediderunt.* Nec *puto neceſſe eſſe, de multitudine chriſtiana, & de Iudæorum paucitate dicamus: cùm in toto mundo crucis uexilla reſplendeant, & uix rarus atque notabilis in urbibus Iudæus appareat.* Actu. 2.

Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.

*Dicimus itaque apoſtolum ideò eos appellare ſecūdum Iſaac filios promißionis, quia non penitus eorum deſperet ſalutem:* Et *rurſum eos ad ſpiritum, quo cœperant æſtimet reuerſuros.* Fiātq; *filij liberæ, qui ſi carne fuerint conſummati filij ſint ancillæ.*

Sed quomodo tunc, qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam & filium eius. Non enim hęres erit filius ancillę cum filio meo Iſaac. Itaque fratres non ſumus ancillę filii, ſed liberę: qua libertate nos Chriſtus liberauit.

*Non puto inuenire nos poſſe ubi Iſmael perſecutus fuerit Iſaac: ſed tantum illud, quòd cùm filius Aegyptiæ, qui maior natu erat, luderet cum Iſaac, indignata ſit Sarra, & dixerit Abraham:* Eijce *ancillam, & filium eius, non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Et *utique ſimplex luſus inter infantes expulſione & abdicatione indignus eſt.* Verùm *Apoſtolus quaſi* Gene. 21

*Hebræus ex Hebræis,& ad pedes magiſtri Gamalielis edoctus, qui quondã furentes aduerſum domini phariſæos conſilio refrenaret ex uerbis* Sarræ *dicentis:*Non *enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Iſaac, intellexit luſum illum ſimplicem nõ fuiſſe, qui perſecutio nominatur. Sed quia forſitan Iſmael quaſi maior natu, & eo tẽpore circunciſus, quo iam poterat intelligere, & ſentire quod paſſus eſt, ſibi primogenita uendicabat, ſcriptura iurgium paruulorũ luſum uocauit. Vnde & Sarra hæc uerba non ſuſtinens, & conſuetudinẽ ſibi primogenita uendicantis ancillæ filij à parua ætate non patiens, erupit in uocem:* Eijce ancillam cum filio ſuo. Non enim *hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Quod *cùm durũ uiſum fuiſſet* Abrahæ *(ſemper enim primogenitis maiora dabantur) non ſolùm Iſmaelem priorem eſſe deſinere, ſed ne æqualem quidem cum minore fratre accipere portionẽ:* Deus *qui liberã intus eſſe & foris expelli uolebat ancillã, Sarræ uerba*
Gene. 21. *confirmat, & loquitur ad* Abrahã. Non *durũ ſit corã te, de puero & ancilla: Oĩa quæ dixerit tibi Sarra audi uocẽ eius, quoniã in Iſaac uocabitur tibi ſemẽ. Sicut ergo tunc maior frater Iſmael lactentẽ adhuc & paruulũ perſequebatur Iſaac, circũciſiõis prærogatiua ſibi primogenita uẽdicans: Ita & nunc ſecundũ carnẽ Iſmael aduerſum minorem fratrem de gentibus populũ chriſtianum ſuſtollitur, inflatur, erigitur.*

Itaque fratres nõ ſumus ancillę filij, ſed liberę. Q*uantũuis ſe iniquitas extollat, ancilla eſt, & ſubijciẽda eſt ſanctis,* Q*uãtũuis ſe extollãt et filios Abrahæ eſſe ſe iactitẽt, quãdiu ancillæ filij fuerĩt & carnaliter legẽ*

*intellexerint, & ſub eius terrore redacti ſeruiliter uixerint, uobiſcum hæreditatem habere non poterunt. Non ergo debetis derelicta matre noſtra ancillam ſequi, quæ licet eiuſdem uiri fuerit uxor, tamen ad tēpus, quia nondum poterat Sarra generare: id eſt nondum teſtamentum nouum reuelatum erat.*

Qua libertate Chriſtus nos liberauit.

*Ea enim libertas nunc maximè opponenda eſt ſeruitutis iugo: quo in operibus legis tenebantur, qui ad circumciſionem iſtos trahebant.*

## IN CAPVT QVINTVM.

STate, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri.

*Quando dicit ſtate, ſignificat eos non dum funditùs cecidiſſe: alioqui commodiùs diceret ſurgite. Quod uerò ait, nolite iterum iugo ſeruitutis detineri, nullum aliud hic iugum rectiùs poſſumus intelligere, quo eos detineri non uult, niſi circūciſionē, et cæteras obſeruatiões iudaicas. Galatæ enim, qui ad Pauli apoſtoli prædicationē idolis derelictis ſtati ad euāgelij trāſcēderant gratiā, nō reuertebātur ad legis iudaicæ ſeruitutē, quā nūquā prius cognouerāt, ſed uolētes obſeruare tēpora, circūcidi carne, et hoſtias offerre corporeas, quodāmō in eoſdem reuertebātur cultus, quibus i idolatria antè ſeruierāt.*

Ecce ego Paulus dico vobis.

*Ego Paulus audenter uobis dico, neminem pertimeſcens; non occultans nomen meum: ut audientes non tam miſſi, quàm mittentis auctoritate moueantur.*

*Tanquam ſi diceret, Ecce me imitemini, ut non timeatis: aut in me cauſam refundite, ſi timetis.*

Quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.

*Quomodò accepturi ſumus quod ait, ne iterum ſeruitutis iugo detineamini, cùm ad eos ſcribat, qui Iudæi nūquam fuerant? Nam hoc agit utique, ne circuncidantur, ſed nimirùm hic declaratur & confirmatur ſententia illa, de qua ſuperiùs diſputauimus. Quid enim aliud hoc loco gētibus dicat, nō inuenio, niſi ut proſit illis quòd à ſeruitute ſuperſtitionis ſuæ per fidem Chriſti liberati ſunt: ne iterum ſerui eſſe uelint ſub iugo obſeruationum carnalium, quanuis ſub lege dei, tamen carnalem populum ſeruiliter alligantium. Chriſtum autem nihil eis profuturum eſſe dicit ſi circuncidantur: ſed illo modo, quo eos iſti uolebant circuncidi, id eſt, ut in carnis circunciſione ponerent ſpem ſalutis. Non enim Timotheo nō profuit Chriſtus, quia Paulus ipſe illū iā chriſtianum iuuenem circuncidit. Fecit autem hoc propter ſcādalum ſuorū, nihil ſimulans omnino, ſed ex illa indifferentia, qua dicit circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt. Nihil enim obeſt iſta circunciſio ei, qui ſalutem in illa non eſſe credit. Tunc ſiquidem non prodeſt circunciſio, cùm aliquid per ſemetipſam putatur utilitatis adferre. Sed illos ſolos ab huiuſmodi obſeruationibus nō fuiſſe prohibendos, quos fides, quæ reuelata eſt, iis iā imbutos inuenerat: ut in eis iā conſummaretur ipſa actio prophetica, quos ante adimpletione prophetiæ iam tenuerat, ne ſi & ab ipſis remoueretur, improbata potiùs, quàm terminata uideretur. Si autem &*

Quō Paulus Timotheū circuncidit.
1. Cor. 7

*gentibus imponeretur, aut non Chriſti promittēdi cauſa inſtituta eſſe, aut adhuc Chriſtum promittere putaretur. Prius itaque populus dei, antequàm Chriſtus ueniret, legē prophetaſque adimplere, illa omnia, quæ hinc promittebant, obſeruare iubebantur: Liber in eis; qui hæc quò pertinerent intelligebant, ſeruus autem in eis qui non intelligebant. Poſterior ergo populus accedens ad fidem, quia iam Chriſtus ueniſſe, paſſus eſſe, ac reſurrexiſſe prædicabatur, in his quidem hominibus; quos iam talibus ſacramentis inſtitutos eadem fides inuenerat, nec cogebatur iſta obſeruare, nec prohibebatur. In his autem qui talibus uacui, nulla generis, nulla conſuetudinis, uel congruenti neceßitate retenti crediderant, etiam prohibebatur, ut ſuper eos iam inciperet apparere, illa omnia propter promittendum Chriſtum fuiſſe inſtituta: quo ueniente atque hæc promiſſa adimplente, iam oporteret ceſſare.*

Conteſtor autem omnem hominenn circuncidentem ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.

*Deus qui circunciſionem primò ad Abraham; deinde* Gene. 17
*ad Moyſen in lege præcepit, non ſolùm circunciſionem* Exo. 12
*ſed & alia multa obſeruanda conſtituit: dies feſtos Hieroſolymis frequentandos, hoſtiarum holocauſta manè* Leuit. 12.
*ſemper & ueſperè, immolationem in uno tantum loco; quinquageſimum remißionis annum, & cætera, quæ facile eſt de ſcripturis excerpere ſibi unumquenque lectorem. Itaque cohortabimur Ebionem, & ſectatores eius, qui poſt euangelium credentes in Chriſto circūcidendos putant, ut aut circunciſionem faciant, & cætera*

*quæ præcipiuntur in lege: Aut ſi impoſſibile eſt cuncta fieri, ceſſet & circũciſio, quæ cæteris quaſi inutilis præ miſſa eſt. Quòd ſi reſponderint poſſibilia tantùm debere ſe facere(*Non enim Deum ea à nobis exigere, quæ *non poſſumus, ſed quæ poſſumus implere*) Dicemus eis *non eiuſdem eſſe dei cuſtodire uelle legem, & eos, qui legem cuſtodiant, derelinquere. Aut quomodò propter intermiſſam legem reos eos faciet, qui etiam ſi uelint, uniuerſa complere non poſſint? Nos uerò legem ſequi ſpiri*

Deut. 25. *talem. quæ dicat*, Non *infrenabis os boui trituranti: &*

Ro. 9. *cũ apoſtolo intelligere*, Nũquid de bobus cura eſt deo? *ſed propter nos utique dicit. & obſeruare ſabbata delicata: non ut bos & aſinus noſter, & uilia pecora lætentur in ſabbato, ſed illi homines & pecora, de quibus*

Pſalm. 35. *ſcriptum eſt*: Homines & iumenta ſaluos facies domine. Homines *rationales quoſque, & ſpiritales uiros. Animalia uerò eos qui tardioris ingenij ſunt, & à ſpiritalibus ad agenda domini ſabbata erudiuntur*. Nec *contrarium eſſe id quod ſuprà ſcriptum eſt, Si circuncidamini Chriſtus uobis nihil prodeſt*. Et *quod ſequitur*, Teſtificor *omnem hominem circuncidentem ſe, quoniam debitor eſt uniuerſæ legis faciendæ*. Quod *ideò ait, ut uel terrore tam innumerabilium obſeruatiónum, quæ in legis operib⁹ ſcriptæ ſunt, ne omnes implere cogerẽtur, quod nec ipſi Iudæi, nec parentes eorum implere potuerunt, ſicut* Petrus *in Actibus apoſtolorũ dicit*, Abſtine-

Actu. 15. *ant ſe ab his, quibus eos iſti ſubiugare cupiebant*.

Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis.

Quomodò *nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, Sic *um*

*brā pariter & ueritatē legis implere difficile eſt. Vm bra in lege ueteri eſt, donec ſpiret dies, & amoueantur umbræ. Veritas in euangelio Chriſti. Gratia enim &* Ioan.1 *ueritas per Ieſum Chriſtū factæ ſunt. Perdit ergo gratiam Chriſti, & euangelium, quod tenuerat, amittit, qui in aliqua obſeruatione legis ſe iuſtificari putat, et cùm gratiam amiſerit, à Chriſti fide deſtruitur, & in eius opere conquieſcit. Magis autem intelligitur, ut id quod ſuprà ſpecialiter de circunciſione præceperat dicens: Si circuncidamini, Chriſtus uobis nihil prodeſt, Nunc de tota lege generaliter comprehendat, nihil eos in Chriſti opere proficere, qui in quacunque obſeruatione ſe crediderint iuſtificandos, dicendo. Si ergo in lege ſpem ponitis, infirmam Chriſti gratiam iudicatis: & quod gratis iam accepiſtis, tanquam non habentes, proprijs multis laboribus adipiſci. Nōdum autē erat factum, ſed quia uolūtas moueri cœperat, ita pleriſque locis loquitur, quaſi iam factum ſit.*

Nos enim ſpū ex fide ſpē iuſtitię expectamus. *Spiritum ad diſtinctionem literæ poſuit. Spes iuſtitiæ Chriſtus itelligēdus, quia ipſe eſt ueritas, patiētia, ſpes, iuſtitia, omnes uirtutes: cuius nos ſecundū expectamus aduentū, quo iudicaturus eſt omnia, & iā non patiētia, ſed iuſtitia adfuturus, ut reddat unicuiq; ſecundū opera ſua. Cuius diei præſentiam apoſtolus, & qui ei ſunt ſimiles expectantes aiunt, Adueniat regnum tuum. Vt* Math.6. *cū filius deo & patri tradiderit regnū, & in ſubiectis oībus fuerit et ipſe ſubiectus, Tūc caput ſubijcitur quo* 1.Cor.15. *dam modo & corpori, & ſit deus omnia in omnibus. Quia qui nunc eſt ex parte per ſingulos, tunc incipiet*

*totus eſſe per cunctos.*

Nam in Chriſto Ieſu neque circũciſio aliquid valet, neque pręputium, ſed fides, quę per charitatem operatur.

*His, qui in Chriſto Ieſu uolunt uiuere, uirtutes appetendæ ſunt, uitia fugienda. Media uerò quæ inter uirtutes & uitia ſunt, nec fugienda ſunt, nec appetenda, ut circunciſio, & præputium, & cætera his ſimilia. Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias: quæ idcirco utilis fuit his, qui in lege uixerunt, Non quia circunciſi erant, ſed quia credita ſunt illis eloquia dei, quæ in opera uertentes à ſalute extranei non fuerunt. Ex eo ſi quidem tempore, quo euangelium in toto orbe radiauit, ſuperflua eſt circunciſionis iniuria, quæ tunc, ut cætera quoque legis, ualuit, quando & benedictiones carnales legem ſeruantibus ſpõdebantur. Quòd ſcilicet ſi*
Deute. 28 *impleſſent eam, benedicti eſſent in ciuitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, & multa alia, quæ in repromiſſionibus continentur. Nos autem in Chriſto Ieſu ualere uolumus, & confortari, id eſt, in uera circun-*
Circunciſio ſpiritalis. *ciſione, & non circunciſione Iudaica. Neque enim qui in aperto Iudæus eſt, neque manifeſta in carne circunciſio, ſed in abſcondito Iudæus, & circunciſio cordis in ſpiritu, non litera. Nihil itaque prodeſt in Chriſto carnis circũciſio, ſed cordis & aurium, quæ aufert illud opprobrium Iudæorum.*

Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?

*Senſus iſte eſt. Cũ igitur curreretis, ueritati magis quã imaginibus ſeruiẽtes, à quo præpediti doctore peruer*

*ſo umbram legis ſequimini, & euangelij relinquitis ueritatem?*

Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocauit vos. *Perſuaſionem iſtam non dicit dei eſſe, ſed eorum, qui talia aſſerebant. Hæc enim ſuaſio carnalis eſt, ille autem in libertatem uocauit. Hortatur ergo eos nullum eorũ audire debere, qui ad illos ueniebant ut iſta ſuaderent.*

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

*Ne quis diceret, cur omnes corripis, dum non omnes errauerint? Prædicit quòd modicum malitiæ fermentum totam poſſit eccleſiæ maſſam corrumpere. Nolite putare paucorum hominum, qui de Iudæa uenientes aliud docent, inſidias contemnendas: quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Item aliter hoc dicit, quia licet quippiam legis admiſcentes fidei, uiolant tamen fidem, ne habeat fructum, aut ſit acceptabilis. hoc ideò adiecit, Ne forte incolumem ſe putarent habere gratiã fidei, ſi pauca legis obſeruarent.* 1. Cor. 5.

Ego confido in vobis in domino, quia nihil aliud ſapietis.

*Prouidens igitur ſpiritu, quia nihil aliud eſſent credituri, niſi quod per epiſtolam docebãtur, ait. Ego confido in uobis in domino, quòd nihil aliud ſapietis. Nam et additio dominici nominis idipſum ſignificat. Si enĩ per coniecturam hoc æſtimabat, potuerat tantùm dicere, Ego confido in uobis. Nunc autem adponens in domino, diuino quodam confidens ſpiritu, quod futurum cognouerat prophetauit.*

Qui autem conturbat vos, portabit iudici-

um; quicunque eſt ille,

Nequaquã hoc ĩ Petrum dici.

*Occultè, iquiunt, Petrum lacerat, cui ſuprà in facie reſtitiſſe ſe ſcribit, quòd non recto pede incederet ad euangelij ueritatem. ſed nec Paulus tam procaci maledicto de eccleſiæ principe loqueretur, nec Petrus dignus qui conturbatæ eccleſiæ reus fieret. Ex quo arbitrandũ eſt de alio quodam dici, qui aut cum apoſtolis fuerat, aut de Iudæa uenerat, aut ex phariſæis crediderat, aut certè magnus ſit apud Galatas æſtimatus, ut portet iudicium eccleſiæ conturbatæ, quicunque eſt ille. Turbati ergo fuerant Galatæ inter ſpiritum & literam, circuncisionem & conciſionem, Iudaiſmum occultum & manifeſtum, quid agerent ignorantes. Breuiùs autem & ſic accipi poteſt: quicunque eſt ille, qui uos ad phariſæorum doctrinam trahit, & deſiderat in carne circuncidi, quamuis ſit eloquens, & in legis ordinatione ſe iactitet, nihil ampliùs dico, niſi hoc quod etiam uos abnuere non poteſtis, quòd portabit pro hac opere iudicium, & conſequetur pro ſuo labore mercedem. Quidùm uellent iſtam ſeruitutem perſuadere, & uiderent eos Pauli apoſtoli auctoritate reuocari, Dicerent etiam ipſum Paulum id ſentire, Sed non eis facilè aperire uoluiſſe, ſententiam ſuam opportunè ſubiecit.*

Ego autem fratres, ſi circuncisionem adhuc prædico, quid adhuc perſequutionem patior?

*Legimus in Actibus Apoſtolorum, & ipſe quoque Apoſtolus Paulus in Epiſtolis ſuis ſæpe commemorat, ſe à Iudæis perſequutiones creberrimas ſuſti-*

*nuiſſe, propterea quòd doceret eos, qui de Gentibus crediderant in* CHRISTO, *non debere circuncidi. Hi itaque (de quibus ſuprà ait, Qui autem conturbat uos portabit iudicium, quicunque eſt ille) ut deciperent Galatas etiam hoc addebant: Non ſolùm Petrus & Iacobus, & Ioannes, & cæteri in Iudæa apoſtoli circunciſionem, & alia præcepta legis oſeruant, ſed ipſe quoque Paulus, qui uos aliter docuit, quàm ſe rei ueritas habet. Timotheum circuncidit, & Iudæis frequenter Iudæus factus eſt, ueritate cogente. quam opinionem de Galatarum mentibus Paulus nunc uolens tollere ait: Ego autem fratres, ſi circuncißionem prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Omne, inquit, in me odium Iudæorum, & qua aduerſum me furunt inſania, ob nihil aliud eſt, niſi quòd doceo Gentes non debere circuncidi, & legis onera ſuperflua, & iam abolita cuſtodire. Cùm autem perſecutionem patior, manifeſtum eſt me circunciſionem non prædicare, quam deſtruo. Non enim tam perſecutionem patior à Iudæis quia prædico crucifixum, & Ieſum eſſe dico* CHRISTVM, *quem lex & prophetæ prænunciauerunt, Quàm quia doceo legem eße completam: ac per hoc illi inimici ſunt crucis eius, qui per legem dicunt eße iuſtitiam, non per gratiam fidei.*

Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.

*Quæritur, quomodò Paulus diſcipulus eius, qui dicit, Benedicite maledicentibus uobis: Et ipſe loquens, Benedicite, & nolite maledicere;* Lucæ. 6 Roma. 12 1. Cor. 4.

*Et in alio loco,Neque maledici regnũ dei poſſidebunt: Nũc & maledixerit eis, qui eccleſias Galatiæ cõturba bant,Et cum optãtis uoto maledixerit: Vtinam & ab ſcindantur qui uos conturbant. Tam enim deteſtandæ abſciſionis eſt paſſio,ut & qui inuitus eam intulerit,le gibus publicis puniatur:Et qui ſeipſum caſtrauerit in ſanus habeatur:non tantùm,inquit, circũcidantur,ſed & abſcindantur. Sic enim fient ſpadones propter re gnum cœlorum,& carnalia ſeminare ceſſabunt Vide bat quippe totam prouinciam, quam ipſe ſuo ſanguine & periculis ab idolatria ad Chriſti traduxerat ſidem, ſubita perſuaſione turbatam,& dolore apoſtolico, do lore patris ſe tenere non poterat. Mutabat uocem,& quibus blanditus fuerat iraſcebatur; ut quos nequiue rat lenitate,ſaltem obiurgatione retineret. Quidam di cunt,utinam abſcindantur ab errore, & inſerantur ue ritati. Alij dicunt,ſi putant ſibi hoc prodeſſe, non ſolũ circuncidantur,ſed etiam & abſcindantur Quòd Pau lus non tam maledixerit eis, quàm orauerit pro illis,ut eas partes corporis perderẽt, per quas delinquere co gebantur. Et quomodò in euangelio dictũ eſt, Meliùs eſſe aliquem ſine oculo,& ſine manu, & ſine pede, & qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cœ lorum,quàm totum ire in gehennam: Ita & nunc opta re eis magis unam partem corporis perdere,quàm per occaſionem integri corporis perpetuo igne damnari. Si enim expoliatio membri proficit, multò magis ſublatio.*

Vos autem in libertatem vocati eſtis fratres, tantũ ne libertatẽ in occaſionem carnis detis.

*Vos, inquit, fratres in libertatem uocati eſtis, forſitan ideò quia non omnes uocationem capere poterāt libertatis. Propter quod nunc auditis, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis. Per dilectionem enim oportet minores ſeruire maioribus: quia qui uult eſſe maior, erit omnium ſeruus. Neque enim ut ſpiritales laceret Chriſti carnes, neque occaſionem illis tribuat, ut ſe remordeant prouocantes, ne abinuicem cōſumantur. Quibus nos poſſumus addere, ut dicamus de ſeruituté legali ad Euangelij libertatem uocatos, quibus ſuperiùs dicitur, State & nolite rurſum iugo ſeruitutis hærere: etiam nunc moneri, ut leue Chriſti iugum, & delectabilia euangelij præcepta ſectantes nequaquàm ſibi putent licere, ut hac ipſa libertate uiuendi in occaſionem carnis utantur. Scilicet ut iuxta carnem uiuant, iuxta carnem circuncidantur: ſed ſpiritu magis ſtēt, ſpiritu præputium carnis abſcindāt, & ad ſpiritus altiora tendentes humilitatem literæ derelinquant.*

Sed per charitatem ſeruite inuicem.

*Qui enim per charitatē ſeruit, liberè ſeruit, & ſine miſeria obtemperans deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur Tūc enim nos charitas à iugo culpæ liberos reddit, cum uiciſſim nos noſtro per amorem ſeruitio ſubijcit: cū & aliena bona noſtra credimus, & noſtra alijs, quaſi ſua offerentes, exhibemus. Tantum autem bonum eſt charitas, ut omnis lex in illa recapituletur. Cuius uirtus tanta eſt, ut nomen conſque extollatur, ut & ipſe deus charitas appelletur.* *Charitatis uirtus*

Omnis enim lex in vno ſermone completur.

*Omnem ergo legem nunc dicit ex his operibus, quæ ad*

*bonos mores pertinent: quia & illa, quæ ſunt in ſacramentis, cùm bene à liberis intelliguntur, nec carnaliter obſeruantur à ſeruis, ad illa duo præcepta referantur neceſſe eſt, dilectionis dei & proximi. Rectè itaque accipitur ad hoc pertinere, quod etiam dominus ait: Non*
Math. 5. *ueni legem ſoluere, ſed adimplere: Qui erat ablaturus timorem carnalem, ſpiritalem autem charitatem daturus, qua ſola lex impleri poteſt. Plenitudo enim le-*
Roma. 13 *gis charitas. Et quoniam fides impetrat ſpiritum ſanctum, per quem charitas dei diffuſa eſt in cordibus operantium iuſtitiam, nullo modo quiſquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter iſtos iactantes ſe de operibus legis ita refellit apoſtolus, dum oſtendit opera uetuſta ſacramentorum umbras futurorum fuiſſe: quas iam poſt aduentum domini, libero hæredi neceſſarias non eſſe monſtrauit. Opera uerò ad bonos mores pertinentia non impleri, niſi dilectione, per quam fides operatur. Vnde ſi opera legis quędã poſt fidẽ ſuperflua, quędã ante fidẽ nulla ſunt, uiuat iuſtus ex fide, ut et onus graue ſeruitutis abijciat, leui ſarcina Chriſti uegetatus: & iuſtitiæ metas nõ trãſgrediatur, leui iugo charitatis obtẽperans. Legis etiã ipſa opera quæ quærũtur, uno poſſũt ſermone cõcludi, & uno præcepto cõpleri. Nõ ergo ſola ad uitã ſufficit fides, ut laciniosa legis præcepta uno dilectiõis cap. cõcludãtur.*

Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

*Quæri autem poteſt cur apoſtolus & hic ſolam cõmemorauit proximi dilectionẽ, quã lege dixit impleri: Et ad Romanos, cùm in eadem quæſtione uerſaretur:*
Roma. 13 *Qui enim diligit alterum, inquit, legem impleuit. Nam*

non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non concupiſces, Et ſi quod eſt aliud mandatũ in hoc ſermone recapitulatur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis eſt charitas. Cùm ergo in duobus præceptis, dilectionis dei, & proximi, perfecta ſit charitas, cur apoſtolus & in illa, & in hac epiſtola ſolam proximi dilectionem commemorat: niſi quia de dilectione dei poſſunt mentiri hoies, quia rariores tentationes eam probant: In dilectione autem proximi faciliùs conuincuntur eam non habere, dum iniquè cum hominibus agunt? Conſequens eſt aũt, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente deum diligit, diligat & proximum tanquam ſeipſum: quia hoc iubet ille, quem ex toto corde, ex tota aĩa, ex tota mente diligit. Itẽ diligere proximũ.i.omnẽ hoĩem tanquã ſeipſum quis põt, niſi deum diligat, cuius præcepto & dono dilectionẽ proximi poßit iplere? Cũ ergo utrũq; præceptũ ita ſit, ut neutrũ ſine altero poſſit teneri, etiã unum horũ cõmemorare plerunq; ſufficit, cũ agitur de operibus iuſtitiæ: ſed opportunius illud de quo quiſq; faciliùs cõuincitur. Vnde Ioannes dicit: Qui.n. non diligit fratrẽ ſuum, quem uidet, deũ, quẽ non uidet, quõ põt diligere? Mẽtiebãtur eni quidã dilectionẽ ſe dei habere, & de odio fraterno eã non habere cõuincebãtur. De quo iudicare in cotidiana uita & moribus facile eſt. Charitas uel dilectio in quatuor modis completur. hoc eſt, primò deus diligendus eſt. Secundò noſipſos diligamus. Tertiò proximos. Quartò inimicos. Deum pluſquàm nos, Proximum ſicut nos, inimicum quaſi proximum. Et niſi Deum

1. Ioan. 4.

In 4 modis cõple tur chari tas.

*primũ dilexerimus, nos diligere nõ poſſumus. Hoc eſt nõ peccare: Et ſi nos non diligimus ad quam formam proximos diligemus? Si autem proximum nõ amamus, multò magis inimicum. Si ergo uolumus dilectionem habere, primò deum pluſquàm noſtras animas diligamus. Quod ita probatur, ſi propter deum etiam ſalutem noſtram, & ipſas animas contemnamus. Nõ ergo ſola ad uitam ſufficit fides, niſi quis ſicut ſe diligit, ita & proximum: & non ſolùm ei malum non facit, quod ſibi non uult: ſed etiam bonum facit, quod ſibi uult ab alio fieri: & uniuerſam legem implet, quæ habet duo genera mandatorum, hoc eſt, non faciendum malum, & faciendum bonum.*

Quod ſi inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem cõſumamini.

*Hoc enim maximè uitio contentionis & inuidiæ, pernicioſæ diſpenſationes inter eos nutriebantur, malè de inuicem loquendo, & quærendo quiſque gloriam ſuam, uanamq́; uictoriam per contentionẽ. quia uos meliores alterutrum iudicatis, quando detrahitis alterutrum, quando aliena torquemini fœlicitate, & ex alterius bono ueſtrum malum facitis. tunc inuicem mordetis, & quando maledicto uos putatis ulciſci: Quibus ſtudijs cõſumitur ſocietas populi, dũ in partes ſciditur. Quomodò autem iſta uitare poßint, niſi ſpiritu ambulent, & concupiſcentias carnis nõ perficiant? Meliùs eſt aũt ne contra rationem, & totius epiſtolæ conſequentiam, ſubitò in extraordinaria præcepta Paulus erũpat, hoc ita intelligere, ut ad circunciſionem, obſeruationemq́; legis cuncta referamus. Si uos, inquit, conturbant alij,*

*uos autem conturbamini, ſi totam ſcripturam ueterem legẽtes ſic intelligitis, ut ſcripta eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente, & ira deſiderat ultionem, ultio uerò imponit dolorem, quod lex non ſolùm non prohibet, uerumetiam præcepit, iuſtitiam in talione reſtituens, Sequitur, ut & nudatus nudet, & uulneratus reuulneret, & comeſus remordeat, & quæ uidetur iuſtitia eſſe, conſumptio ſit, Non unum uindicans, ſed utrunque conſumens.*

Dico autem, ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.

*Si ergo non conſentiatur concupiſcentijs carnis, quantiſuis agantur motibus, non tamen perficiantur operibus. Proinde cùm caro cõcupiſcit aduerſum ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ut non ea quæ uolumus faciamus, Nec carnis perficiuntur concupiſcentiæ, quanuis faciant, Nec noſtra perficiuntur opera bona, quanuis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis cõcupiſcentia, cùm conſentit ei ſpiritus ad opera mala, ut non concupiſcat aduerſus illam, ſed cum illa: Sic & bona opera noſtra tunc perficientur, quando ita ſpiritui caro conſenſerit, ut aduerſus eum etiam ipſa non concupiſcat. Hoc enim uolumus cùm perfectionem iuſtitiæ concupiſcimus, hoc intentione nõ intermiſſa uelle debemus. Sed quia perficere in iſta corruptibili carne non poßumus, ideò dixit ad* Romanos: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Vel ſicut habent codices græci, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non: id eſt non mihi adiacet perficere bonum. Non ait facere, ſed perficere bonũ. Quia facere bonum, eſt poſt cõ* Roma. 7.

Quid bonũ facere, quid perficere

*cupiſcentias non ire. Perficere autem bonum, eſt nõ concupiſcere. Quod ergo eſt ad Galatas, concupiſcentias carnis ne perfeceritis, hoc econtrariò eſt ad Romanos. Perficere autem bonum non inuenio, quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit noſtræ uolũtatis adſenſus: Nec noſtra uoluntas perficitur in bono, quandiu illarum, cui non conſentimus, permanet motus. Ipſe autem conflictus, in quo etiam baptizati uelut in agone decertant, cùm caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ubi & ſpiritus facit bonum opus non conſentiendo concupiſcentiæ malę, non perficit, quia ipſa mala deſideria non abſumit: & caro facit malum deſiderium, ſed nec ipſa perficit, quia non ſibi conſentiente ſpiritu & ipſa ad opera dãnanda non peruenit. Iſte ergo conflictus non Iudæorũ, nec quorũlibet aliorum, ſed plenè chriſtianorum, fidelium, & bene uiuentium eſt.*

Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.

Quõ caro dicatur cõcupiſcere.

*Non enim caro ſine anima concupiſcit; quanuis caro concupiſcere dicatur, quia carnaliter anima concupiſcit. caro enim nihil niſi per animam concupiſcit: ſed concupiſcere caro aduerſus ſpiritum dicitur, quando anima carnali concupiſcentia ſpiritui reluctatur: Tunc enim caro adulterium, ſpiritus autem deſiderat caſtitatem. Totum hoc nos ſumus, & caro ipſa quæ diſcedente anima moritur, quæ pars noſtra infirma eſt, nec fugienda dimittitur, ſed recipienda reponitur. Tũc erit iuſtus ſine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris eius, repugnans legi mentis eius. Nec*

*recepta ulteriùs relinquetur. Vnde dicit, Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Et quia ſuprà* 1. Cor. 15.
*ſecundum duplicem intelligentiam hunc locum cœperamus exponere, reddenda ſunt quæ omiſimus. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, id eſt hiſtoriæ & ſcripturæ carneus intellectus contra allegoriam & ſpiritalem doctrinam repugnat. Spiritus autem aduerſus carnem id eſt ſublimiora detectis, æterna breuibus umbræ ueritati, refragatur. Et carneus ſcripturæ ſenſus, quia impleri non poteſt (Nec enim ualemus omnia quæ ſcripta ſunt facere) Oſtendit nos non in noſtra poſitos poteſtate legis explendæ, Cũ etiamſi uelimus literam ſequi impoßibilitas non admittit.*

Hęc enim inuicem aduerſantur, vt non quęcunque vultis, illa faciatis.

*Hæc facit ratio, ut uoluntatẽ nõ ſequatur effectus: quia in hac uita pugnat caro cõtra ſpũm, & ſpiritus aduerſus carnem. Fit ergo per ſanctificationẽ perfectam, ut omnis carnalis appetitus ſpiritui noſtro illuminato & uiuificato, id eſt uolũtati, ſubijciatur. Et ſicut nũc uidem⁹ multis puerilibus delectatiõibus nos carere quæ nos pueros, ſi denegarentur, acerrimè cruciabãt: Ita credẽdum eſt de omni carnali delectatione futurũ eſſe, cũ perfecta ſanctitas totũ hominẽ reparauerit. nunc aũt quãdiu eſt in nobis quod reſiſtit bonæ uolũtati, auxilio dei per bonos hoĩes, & bonos angelos indigemus, ut donec ſanetur uulnus noſtrũ nõ ita moleſtetur, ut perimat etiã bonam uoluntatẽ. hanc aũt mortẽ peccato meruimus, quod peccatũ erat oĩno in libero arbitrio: cũ in paradiſo nullus dolor denegaret delectatiões uolũtati bonæ,*

*nec quicquam rectè habenti ſe homini reſiſtebat. Nunc uerò paulatim ſubrepens delectatio mortificat animam, ut ſi ſe abſtinere uelit, ſine moleſtia & angore non poſſit.*

*Quinam ſunt ſub lege.*

Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. *Vt intelligamus eos ſub lege eſſe, quorum ſpiritus ita concupiſcit aduerſus carnem, ut non ea quæ uolunt faciant, id eſt non ſe teneant coniunctos in charitate iuſtitiæ, ſed à concupiſcente aduerſum ſe carne, uincantur. Non ſolùm ea repugnante legi mentis eorum, ſed etiam captiuante illos ſub lege peccati, quæ eſt in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur ſpiritu, Sequitur ut carne ducantur. Non autem pati aduerſitatem carnis, ſed duci à carne damnatio eſt. Et ideò, quòd ſi ſpiritu ducimini, inquit, non adhuc eſtis ſub lege. Nam & ſuperiùs non ait, ſpiritu ambulate, & concupiſcentias carnis non habueritis, ſed ne perfeceritis. Quippe eas omnino non habere, non iam certamen, ſed certaminis præmium eſt, ſi obtinuerimus uictoriam perſeuerãdo ſub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem ſtatum ſola carnis concupiſcentias non habebit. Et ſi uos totos ſpiritalibus occupetis, non uobis opus eſt lex quæ carnalibus data eſt. Si ſpiritu, inquit, ducimini, non eſtis ſub lege. Vtique legi, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: quia charitas dei diffuſa eſt in cordibus ueſtris, Non per legis literam, ſed per ſpiritum ſanctum. Qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis, non ſeruitutis in quantùm quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege: Quia quantũ condelectatur legi dei, non eſt ſub legis timore, quia timor tormentum habet;*

*Roma. 5*

*non delectationem.*

Manifeſta autem ſunt opera carnis quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, animoſitates, æmulationes, iræ, rixę diſſenſiones, hæreſes, inuidię, ebrietates, comeſſationes. *Opera carnis.*

*Agunt autem hæc, qui cupiditatibus carnalibus conſentientes facienda eſſe decernunt, etiamſi ad implendum facultas non datur. Ceterùm qui tanguntur huiuſmodi motibus, & immobiles in maiore charitate cõſiſtunt.* Non *ſolùm non eis exhibentes membra corporis ad malè operandũ, ſed neque nutu conſenſionis ad exhibendũ conſentientes, non hæc agunt, & ideò regnum dei poſſidebunt.* Non enim iam regnat peccatum in eorũ mor*tali corpore ad obediendũ deſiderijs eius, quanuis habitet in eodem mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis, qua mortaliter nati ſumus, & ex proprijs uitæ noſtræ, cùm & nos ipſi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationis trahebamus.* Aliud eſt enim non peccare, *aliud non habere peccatum.* Nam *in quo peccatum non regnat, non peccat, id eſt qui non obedit deſiderijs eius. In quo autem non exiſtunt omnino iſta deſideria non ſolũ non peccat, ſed etiam non habet peccatum* Quod *etiam ſi ex multis partibus in iſta uita poſſit effici, ex omni tamen parte non niſi in reſurrectione carnis, atque cõmutatione peragẽdum eſt. Cur ergo hæc omnia & his ſimilia doctor gentium in fide & ueritate opera carnis appellat, niſi quia eo locutionis modo, quo totum ſigni* *Aliud regnare peccatũ in corpore, aliud habitare.*

*nec quicquam rectè habenti ſe homini reſiſtebat. Nunc uerò paulatim ſubrepens delectatio mortificat animam, ut ſi ſe abſtinere uelit, ſine moleſtia & angore non poſſit.*

*Quinam ſunt ſub lege.*

Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. *Vt intelligamus eos ſub lege eſſe, quorum ſpiritus ita concupiſcit aduerſus carnem, ut non ea quæ uolunt faciant, id eſt non ſe teneant coniunctos in charitate iuſtitiæ, ſed à concupiſcente aduerſum ſe carne, uincantur. Non ſolùm ea repugnante legi mentis eorum, ſed etiam captiuante illos ſub lege peccati, quæ eſt in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur ſpiritu, Sequitur ut carne ducantur. Non autem pati aduerſitatem carnis, ſed duci à carne damnatio eſt. Et ideò, quòd ſi ſpiritu ducimini, inquit, non adhuc eſtis ſub lege. Nam & ſuperiùs non ait, ſpiritu ambulate, & concupiſcentias carnis non habueritis, ſed ne perfeceritis. Quippe eas omnino non habere, non tam certamen, ſed certaminis præmium eſt, ſi obtinuerimus uictoriam perſeuerãdo ſub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem ſtatum ſola carnis concupiſcentias non habebit. Et ſi uos totos ſpiritalibus occupetis, non uobis opus eſt lex quæ carnalibus data eſt. Si ſpiritu, inquit, ducimini, non eſtis ſub lege. Vtique legi, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: quia charitas dei diffuſa eſt in cordibus ueſtris, Non per legis literam, ſed per ſpiritum ſanctum, Qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis, non ſeruitutis in quantùm quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege: Quia quantũ condelectatur legi dei, non eſt ſub legis timore, quia timor tormentum habet;*

*Roma. 5*

*non delectationem.*

Manifeſta autem ſunt opera carnis quæ ſunt, fornicatio, immundicia, impudicitia, idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, animoſitates, æmulationes, iræ, rixę diſſenſiones, hæreſes, inuidię, ebrietates, comeſſationes. *Opera carnis.*

*Agunt autem hæc, qui cupiditatibus carnalibus conſentientes facienda eſſe decernunt, etiamſi ad implendum facultas non datur. Cæterùm qui tanguntur huiuſmodi motibus, & immobiles in maiore charitate cõſiſtunt. Non ſolùm non eis exhibentes membra corporis ad malè operandũ, ſed neque nutu conſenſionis ad exhibendũ conſentientes, non hæc agunt, & ideò regnum dei poſſidebunt. Non enim iam regnat peccatum in eorũ mortali corpore ad obediendũ deſiderijs eius, quamuis habitet in eodem mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis, qua mortaliter nati ſumus, & ex proprijs uitæ noſtræ, cùm & nos ipſi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationis trahebamus. Aliud eſt enim non peccare, aliud non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id eſt qui non obedit deſiderijs eius. In quo autem non exiſtunt omnino iſta deſideria non ſolũ non peccat, ſed etiam non habet peccatum. Quod etiam ſi ex multis partibus in iſta uita poſſit effici, ex omni tamen parte non niſi in reſurrectione carnis, atque cõmutatione peragẽdum eſt. Cur ergo hæc omnia & his ſimilia doctor gentium in fide & ueritate opera carnis appellat, niſi quia eo locutionis modo, quo totum ſigni*

*Aliud regnare peccatũ i corpore, aliud habitare.*

An caro i hoīe ſit peccati cauſa.

*ficatur, à parte ipſum hominem, uult nomine carnis intelligi? Quod ſi quiſquam dicit carnem cauſam eſſe in malis moribus quorūcunq; uitiorū, eò quòd anima carne perfecta ſic uiuit, profectò non uniuerſam hominis naturam diligenter aduertit. Nam corpus quidem corruptibile adgrauat animam. Corruptio autem corporis, quæ adgrauat animam, non peccati primi eſt cauſa, ſed pœna. Nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem: ex qua corruptione carnis, licet exiſtant quædam incitamenta uitiorum, & ipſa deſideria uitioſa, non tamen omnia uitæ iniquæ uitia tribuenda ſunt carni; ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui carnem nō habet. Quis enim ſeruitutem, quæ idolis exhibetur, ueneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidias, nō potiùs intelligat animi uitia eſſe, quā carnis? Quandoquidem fieri poteſt, ut propter idolatriā, uel hæreſis alicuius errorem à uoluptatibus corporis tēperetur: Et tamen etiā tunc homo quāuis carnis libidinē contēnere atq; cohibere uideatur, ſecundū carnem uiuere hac apoſtolica auctoritate cōuincitur, & in eo quòd abſtinet à uoluptatibus carnis dānabilia opera carnis agere demonſtratur. et enī ſi diabolus ea quæ fornicator agit, uel ebrioſus, uel ſi quid hmōi mali eſt, quod ad carnis pertinet uoluptates, non agit, qui carnem non habet, non poteſt dici abſque culpa cùm ſit etiam talium criminum ſuaſor & inſtigator occultus: Eſt tamen maximè ſuperbus atque inuidus, quæ illū uitioſitas ſic obtinuit, ut propter hoc eſſet in carceribus caliginoſi huius aeris æterno ſuppli*

*cio deſtinatus. Hæc aũt uitia, quæ tenẽt in diabolo principatum, carni tribuit apoſtolus, quam certũ eſt diabolum non habere. Dicit enim, inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, inuidias, opera eſſe carnis. Quorum omnium malorum caput atque origo ſuperbia eſt, quæ ſine carne regnat in diabolo. At hæc omnia cùm habeat ille ſine carne, quomodo ſunt iſta opera carnis, niſi quia opera ſunt hominis, quẽ nomine carnis appellat? Si enim ſapientia carnis inimica eſt deo, inimica autem ſunt omnia dogmata falſitatis deo repugnantia, Conſequenter hæreſes inimicæ deo ad carnis opera referuntur. Hæreſis autem Græcè ab electione dicitur, quòd ſcilicet eam ſibi unuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Quicunque igitur aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus ſpiritus ſancti flagrat, quo conſcripta eſt, licet de eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt eligens quæ peiora ſunt.* *Hæreſis unde dicatur.*

Et his ſimilia, quæ prędico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non conſequentur.

*Poteſt autem mouere quod ait, quæ dico uobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt, Si quæratur ubi iſta prædixerit. Nam in hac epiſtola non inuenitur. Ergo aut præſens cùm eſſet, hoc prædixerat: aut cognouerat perueniſſe ad illos epiſtolam, quæ miſſa eſt ad Corinthios. Ibi enim ſic ait. Nolite errare, Neque fornicatores, neque idolis ſeruiẽtes, neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculorũ cõcubitores, neq; fures, neque auari, neq; ebrioſi, neque* *1. Cor. 6*

*maledici, neque rapaces, regnum dei poſſidebunt.* Hic *ergo cùm enumeraſſet opera carnis, quibus clauſum eſt dei regnum, ſubiecit etiam opera ſpiritus, quæ fructum ſpiritus uocat.*

Fructus autem ſpiritus eſt charitas.

*Omnium uitutum prima eſt charitas: quæ, ſicut notauimus, in quatuor diuiditur partes, In dilectione dei, in ſua uniuſcuiuſque, in proximi, & inimici.*

Gaudium ſpiritale, pax.

*Si tranquilla mens nullis paſſionibus perturbetur.*

Longanimitas. *Illatas iniurias ſuſtinere.*

Bonitas. *Semper benefacere uelle.*

Benignitas. *Nulli iniuriam facit, nec deſiderat fieri. Notandum quòd & fides à deo detur, quam inter fructus ſpiritus ſeptimo loco apoſtolus poſuit: & hoc notandum, quia à deo eſt*

Fides. *Vel deo credere, uel hominibus promiſſa complere.*

Modeſtia. *Non Iraſci.*

Continentia. *Continentia pro tempore eſt.*

Caſtitas. *Sempiterna: & non ſolùm à fornicatione, ſed ab omni iniquitate continere.*

Aduerſus huiuſmodi non eſt lex.

*Non enim iſta prohibuit, & qui nouum implet, non eſt ſub ueteri teſtamento. Hinc intelligamus illos ſub lege poſitos, in quibus iſta non regnant. Nam in quibus hæc regnant ipſi lege legitimè utuntur, quia non eſt illis lex ad coercendum poſita. Maior enim & præpollentior delectatio eorum, iuſtitia eſt. Non enim, ait, aduerſus hæc non eſt lex, ſed aduerſus huiuſmodi, Hoc*

*eſt,ſiue iſta,ſiue etiam cætera huiuſmodi. Sed tamen di ligenter conſiderantibus, non hic omnimodo carnalium ſpiritaliumq́; operum oppoſitio inordinata atque confuſa eſt. Ob hoc autem latet, quia pauciora, uel ſingula quibuſdam pluribus opponūtur. Nam ex eo quòd in capite carnalium uitiorum poſuit fornicationes, In capite autem uirtutum ſpiritalium charitatem, quem non diuinarum literarum ſtudioſum faciat intentum ad perſcrutanda cætera? Si enim fornicatio eſt amor à legitimo connubio ſolutus, & uagus explēdæ libidinis cō ſectando lætitiam, quid tam legitimè ad ſpiritalem fæcunditatem coniungitur, quàm anima deo, cui quantò fixiùs inhæſerit, tantò eſt incorruptior? Inhæreat autē charitate. Rectè igitur fornicationi opponitur charitas, in qua ſola eſt cuſtodia caſtitatis. Immunditiæ autem ſunt omnes perturbationes de illa fornicatione cōceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem ſeruitus ultima fornicatio eſt animæ, propter quam etiam bellum aduerſus euangelium reconciliatis dei furioſiſſimum geſtum eſt: cuius reliquiæ quanuis penè ſopitæ fuerint, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria eſt, qua reconciliamur deo, eademque pace etiam cum hominibus cuſtodita ueneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animoſitatum, diſſenſionumq́; uitia ſanantur in nobis. Vt autem in alijs, inter quos uiuimus, iuſta moderatiōe uerſemur, & ad ſuſtinendum longanimitas, & ad curandum benignitas, & ad ignoſcendum bonitas militat. Iam uerò hæreſibus fides, inuidiæ manſuetudo, ebrietatibus & comeſſationibus continentia reluctatur. Ne*

Explicat ordinem prædicto rū operū carnis, et fructuum ſpūs. Tū qui fru- ctꝰ cui ui tio cōtra rietur.

*quis ſanè arbitretur, hoc eſſe inuidia, quod eſt æmulatio. Vicinæ enim ſunt, & propter ipſam uicinitatē plerunque utrūlibet horum pro altero, æmulatio pro inuidia, uel inuidia pro æmulatiōe ponitur. Sed quia utrūque hic locis ſuis dictum eſt, utique diſtinctionem de nobis flagitant.* Nam *æmulatio eſt dolor animi cùm alius peruenit ad rem, quam duo pluresue appetebant, & niſi ab uno haberi non poteſt. Iſtam ſanat pax, qua id appetimus, quod omnes qui appetunt ſi adſequantur, unū in uno fiunt. Inuidia uerò, dolor animi eſt cū indignus uidetur aliquid aſſequi, etiam quod tu non appetebas. Inter inuidum autem & inuidioſum hoc intereſt: quòd inuidus feliciori inuidet, inuidioſus autem ipſe eſt, qui ab alio patitur inuidiam. Hanc ſanat manſuetudo, Cū quiſque ad iudiciū dei reuocans non reſiſtit uoluntati eius, & magis ei credit rectè factū eſſe quàm ſibi quod putabat indignū. Regnant ergo ſpiritales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnāt aūt iſta bana, ſi tantū delectant, ut ipſa teneant animū in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat.*

Aemulatio.

Inuidia.

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentiis.

*Vnde autem crucifixerunt, niſi timore illo caſto permanente in ſeculum ſeculi, quo cauemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mēte diligimus? & ideò ſi hoc modo omnia ſimul crucifixa ſunt membra, & deſtructum eſt in nobis omne opus peccati, & caro quaſi pēdens in cruce, ſeculi deſiderijs extincta atque mortificata, nihil aduerſum dei præcepta in ſeculo cōcupiſcit: ut quid eis legē iuxta literā tenere cōuenit,*

*quæ ad uitia peccatorũ coercẽda data eſt? ſimul illud notandũ, quod eos dixerit Chriſti eſſe, qui carnẽ ſuam cũ uitijs crucifixerũt. Hæc ſentẽtia illos reuicit, qui ſolã fidẽ ad ſalutem animarũ ſuarum ſufficere arbitrantur.*

## IN CAPVT SEXTVM.

SI viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus.

*Neq; quàm per legem, ſed per charitatem nobis inuicem ſeruientes. Non debemus de ſcripturarum interpretatione contendere, & dicere uerbi gratia, Circumciſio melior eſt. Non, ſed præputium. Contemnenda hiſtoria, & allegoria ſequenda. Imò allegoria uana eſt, & umbratica, & nullis ueritatis fultá radicibus: unde uenit, ut inuicem naſcantur inuidiæ. Excludere enim, ait, uos uolunt, ut illos æmulemini. Non tam ueritatem legis uolentes docere, quàm uincere. In eo autem illi fallebantur, quòd negare quidem non poterant, ſectandũ ſibi eſſe ſpiritum ſanctum, adſertorem, & ducem libertatis ſuæ; ſed ad opera ſeruilia carnaliter conuerſi, retrorſum ſe conari non intelligebant. Proptereà non ait, ſi ſpiritu uiuimus, ſpiritum ſectemur. Fatebantur enim ſpiritu ſancto ſeruire oportere, & eum non ſpiritu ſuo, ſed carne uolebant ſectari: non ſpiritaliter obtinentes gratiam dei, ſed in circũciſione carnali, & cæteris huiuſmodi ſpem cõſtituentes ſalutis. Illis enim dicit, qui mutua concertatione ſe alterutrũ præponere cupieb ant, Per ſpũm, inquit, uitã habemus,* Roma. 8.

*ſed ſi ſpiritaliter conuerſemur, & non legi carnaliter ſeruiamus.*

Non efficiamur inanis glorię cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

*Prorſus magnificè & omnino diuino ordine poſteaquā eos inſtruxit aduerſus illos, à quibus in ſeruitutem legis ſeducebantur, hoc in eis cautè, ne inſtructiores facti, & uolentes iam calumnijs carnalium reſpondere, contentionibus ſtudeant & appetitu inanis gloriæ legis oneribus non ſeruientes, uanis cupiditatibus ſeruiant. Nihil autem ſic probat ſpiritalē uirum, quàm peccati alieni tractatio, cùm liberationem eius potiùs, quā inſultationem, potiusque auxilia, quàm conuitia meditatur: Et quantum facultas tribuitur, ſuſcipit: Et ideò dicit.*

Quō de alienis peccatis loquendū

Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.

*Eum quoque, qui ſpiritalis eſt, cohortatur, cùm ſui timore ne ceſſet manū porrigere corruenti: Et pulchrè præoccupatum in delicto hominem uocat, qui mori poſſit, & ipſo nomine fragilitatem conditionis oſtēdens; ut dignus ſit uenia, qui uelut homo errore deceptus, et merſus in uoraginem, ſeipſum ſine auxilio & adiutore erigere non poſſit. Spiritali autem non additur homo, ſed quaſi deo præcipitur, ut hominem præoccupatum in delicto inſtruat: Siue ut melius habetur in Græco, perficiat in ſpiritu lenitatis. Qui autem perficitur, non ei deſunt uniuerſa, ſed aliqua. Denique non peccatis pluribus, ſed uitio aliquo præoccupatus errauit, lenita*

*tis ſpiritum & manſuetudinis in correctione peccantis, ſpiritalis adhibeat, ne rigidus, ne iratus, & triſtis corrigere cupiat errantem, ſed prouocet eum, ſpõdens ſalutem, ueniam repromittens, Chriſti teſtimonium proferat. Quòd graui legis & peccatorum onere depreſſus ad iugum ſuum ſuaue, leue inuitet onus, ut diſcant quia humilis ſit & mitis, & manſuetus corde, & inuenient requiem animabus ſuis. Locus iſte de epiſtola ad* Romanos *in fine pandendus eſt. Ibi enim cùm ſimiliter de eſcis & obſeruationibus ſcriberet Iudæorum, & eos qui legis iuxta literam præcepta contemnerent, firmos atque perfectos: Illos uerò, qui adhuc antiqua conſuetudine ducebãtur, infirmos paruuloſque narraret, & uideret iurgium eſſe inter ſpiritales & carneos: Ad monuit ſpiritales, ne cõtemnerent carnales, & ait, Infirmum autem in fide adſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Alius enim credit mãducare omnia, qui autem infirmus eſt bolus manducet. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum adſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienũ ſeruum? ſuo domino ſtat aut cadit. Stabit autem, Potens eſt enim deus ſtatuere illum: & multa in medio ſuper hoc ſenſu differens, Ad iecit in finem:* Noli propter eſcam deſtruere opus dei. Et *iterum, debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque ueſtrum proximo ſuo placeat ad bonam ædificationem.*

Leniter corrigendum.

Math. 11.

Roma. 14

Roma. 15.

Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

*Nihil enim ad miſericordiam ſic ĩclinat, quàm proprij*

*periculi cogitatio. Conſiderando temetipſum, quia & tu homo es, & poteris aliquo præueniri peccato, & ita demũ indigere adiutorio dei, & proximi: quia ſani infirmos ſuſtinere debent, & mortuos ſepelire, quia proculdubio & infirmari, & mori poſſe ſe credunt:*

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

*Quia Veteris teſtamenti cuſtodia timorem habebat, Non potuit apertiùs ſignificare noui teſtamenti donum eſſe charitatem, quàm hoc loco, ubi Apoſtolus dicit: Inuicem onera ueſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Hanc enim legem Chriſti dicere intelligitur, qua ipſe dominus præcepit, ut nos inuicem diligamus, Tantùm in ea ſententia præcepti pondus conſtituens, ut diceret: In hoc cognoſcitur quoniam diſcipuli mei eſtis, ſi uos inuicem diligatis. Huius autem dilectionis officium eſt, inuicem onera ueſtra portare. Sed hoc officium non eſt ſempiternum, perducet ſanè ad beatitudinem ſempiternam: in qua nulla erunt onera noſtra, quæ inuicem portare iubeamur. Nunc uerò in hac uita, id eſt dum in hac uia ſumus, onera noſtra portemus: ut ad eam uitam, quæ caret omni onere, perueniams. Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio, Nec tamen inuicem portaremus onera noſtra, ſi unum tempus eſſet infirmitatis amborum, qui onera ſua ſuſtinent, aut unum infirmitatis genus. ſed diuerſa tempora, & diuerſa genera infirmitatis faciunt, ut onera noſtra inuicem portare ualeamus. Verbi gratia. Iram fratris tunc portabis, cùm tu aduerſus eum non iraſceris, ut*

Ioan. 13

*rurſum eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate, & tranquillitate ſupportet, ſed & hunc locum cùm ſuperioribus copulemus. Duplicem enim ſequitur intelligentiam. Si quis infirmus in fide eſt, & adhuc lacte nutritus infantiæ, nec poteſt tam citò à legali obſeruatione, ad ſpiritalia ſacramenta tranſire, Vos qui robuſtiores eſtis, eius onera portate, ne per ſcientiam ueſtram frater pereat, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Portat quoque fratris neceſsitatem qui grauatum pauperem onere egeſtatis adiuuat.* 1. Cor. 8

Nam ſi quis ſe exiſtimat eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. *Non eum ſeducunt laudatores eius, ſed ipſe potiùs, quia cùm ſibi ſit præſentior quã illi, magis uult ſe in illis quærere, quã in ſeipſo. Et ideò ait: Si quis exiſtimat ſe eſſe aliquid, In eo quòd putat ſe eſſe aliquid, & non ex clementia in proximũ, ſed ex ſuo opere & labore ſe iudicat, ſua tantum uirtute contentus: Iſte ex hac ipſa arrogantia nihil fit, & ipſe ſe decipit. Mentem autem decipit, qui ſe putat eſſe ſapientem, Et ſecundum Eſaiam, Sapiens in ſe, & in conſpectu ſuo intelligens. Ad circuncißionem, & ad legem ita loci huius connectitur intellectus: Qui ſpiritalis eſt, & miſericordiam in proximum non habet, Contemnens humilem, quia ipſe ſublimior eſt, ipſe ſe decipit: Neſciens hanc ſpiritus eße legem, ut nos inuicem diligamus.* Eſa. 5.

Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſeipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnuſquiſque enim, proprium onus portabit.

*Et non in altero, id eſt, cùm alter eum laudat. Non ergo laudatores noſtri minuunt onera conſcientiæ noſtræ, atque utinam non etiam accumulent plerunque, ne illis offenſis laus noſtra minuatur, cùm aut obiurgatione illos curare negligimus, aut iactãter eis aliquid noſtrum oſtentamus, potiùs quàm conſtanter oſtẽdimus.* Omitto ea *quæ fingunt & mentiuntur de ſe homines propter hominum laudes. Quid enim iſta cæcitate tenebroſius, ad obtinendam inaniſſimam gloriam errorem hominis aucupari, & deum teſtem in corde contemnere? quaſi uerò ullo modo comparandus ſit error illius, qui te bonum putat, errori tuo, qui homini de falſo bono placere ſtudes, de malo uerò diſplices deo.*

Inuehitur in uanæ gloriæ cupidos.

Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.

*Videtur ſuperioribus contraire, ubi ait:* Alter *alterius onera portate.* Si enim *unuſquiſque onus ſuum portabit,* Alter *alterius onera portare non poterit. ſed uidendum, quòd ibi præceperit, ut peccantes in hac uita, nos inuicem ſuſtẽtemus, & in præſenti ſeculo alterutrum auxilio ſimus:* Hic *aũt de domini dicat in reſurrectione iudicio,* Quòd *non ex alterius peccato & cõparatione deterioris ſed iuxta noſtrũ opus, aut peccatores ab eo iudicemur, aut ſancti, recipiẽte uno quoque ſecundum opus ſuum.* Obſcurè *licet, docemur per hãc ſententiolã nouum dogma, quod latitat:* Dum *in præſenti ſeculo ſumus, ſiue orationibus, ſiue conſilijs inuicem poſſe nos adiuuari.* Cùm *aũt ante tribunal* Chriſti *uenerimus,* Nec Iob, *nec* Daniel, *nec* Noe, *rogare poſſe pro quoquã, ſed unumquenque portare onus ſuum.*

Dubij ſolutio.

Ezec. 14.

Communicet autem is, qui catechizatur ver-

bo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis.

*Sēſus itaque iſte eſt, quia ſuperiùs ſpiritualibus præcepe rat, ut eos, qui præoccupati fuerāt in aliquo delicto, in ſtruerent in ſpū lenitatis: Et alter alterius onera portarent, adimplentes legem Chriſti: Nūc econtrario his, qui adhuc imbecilliores, & diſcipuli, & carnales erāt imperat, Vt quomodò ipſa à magiſtris ſpiritalia metunt, ſic magiſtris carnalia præbeāt, qui totos ſe diuinæ eruditioni, & ſtudio tradētes uitæ huius neceſſarijs indigent: Et fiat illud, quod de māna ſcriptū eſt, qui multum, non abundauit, & qui modicum, non minorauit.* Exod. 16 *Bona autem in præſenti loco iuxta uulgi conſuetudinē, moremq; cōmunem uictum & ueſtitum, cæteraq;, quæ hoīes inter bona numerant, appellauit. Habētes enim uictum & ueſtitum, his contēti ſimus.* 2. Cor. 8. *Nec mirū ſi Paulus ea quæ erāt corpori neceſſaria boni appellatione ſignauit, Cùm etiā ſaluator noſter ad eos qui ne dū ad uirtutum culmen aſcenderant, ſed adhuc humiliùs incedebant, & ſibi addi poſcebant fidē, dixerit. Si ergo uos, cū mali ſitis, ſcitis bona data dare filijs ueſtris, quantò magis pater cœleſtis dabit bona petentibus ſe?* 1. Timo. 6 Math. 7

Nolite errare, deus non irridetur. quę enim ſeminauerit homo, hæc & metet.

*Præuidens in ſpiritu eos qui docentur, & debent magiſtris ſumptus, & uitæ neceſſaria miniſtrare, poſſe obtēdere paupertatē & dicere: Ager meus hoc anno aruit ſiccitate, Vineam grando contriuit, Reditus, qui eſſe poterant, tributa rapuerunt, Non habeo unde tribuam quod iubetur: Adiecit, Nolite errare, deus non irridetur. Scit, inquit, corda ueſtra, non ignorat facul-*

*tates*, *Excuſatio ueriſimilis homini poteſt utcunque placere, deum non poteſt fallere. Et ſimul cohortatur ad id, quod præceptum eſt, exhibendum, ſemen nominans, ne putet perditum quod multiplicato fœnore recepturus eſt*

Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.

*Seminare in carne:* *Hoc dicit de amatoribus uoluptatum magis quàm dei. In carne enim ſua ſeminat, qui omnia, quæ fecit, etiam ſi bona uideantur, Propterea tamen facit, ut carnaliter ei bene ſit.*

Qui autem ſeminat in ſpiritu de ſpiritu metet vitam æternam: *Seminatio in ſpiritu eſt ex fide cum charitate ſeruire iuſtitiæ, & non obedire deſiderijs peccati, quamuis de mortali carne exiſtentibus. Meſſis autem uitæ æternæ, cùm inimica nouiſſimè deſtruetur mors, & abſorbebitur mortale à uita, & corruptibile hoc induet incorruptionem. In hoc ergo tertio gradu, quo ſub gratia ſumus, ſeminare debemus opera bona, quæ ſuprà iam dicta ſunt. Aliter: Qui legem carnaliter intelligit, repromiſſiones quoque carnales, & quæ in præſenti ſeculo corrumpuntur, expectat. Qui autem ſpiritalis auditor eſt, ſeminat in ſpiritu, & de ſpiritu metet uitam æternam. Simul notandus ordo ſermonis, & cũ ſuperioribus copulãdus. quòd hõ uocatur in ſpũ ſeminans, qui quando cœperit uitã metere ſempiternã hõ fortaſſe eſſe deſiſtet. Illud etiam pariter obſeruandũ, quòd qui ſeminat in carne cũ additamento ſuæ carnis ponitur. Qui aũt ſeminat in ſpũ, non dicitur in ſpũ ſuo, ſed ſimpliciter in ſpũ. Qui enim bona*

*Seminare in ſpiritu*

*ſeminat,non in ſuo quopiam,ſed in dei ſpiritu ſeminat: De quo & uitam eſt meſſurus æternam.*

Bonum autem facientes,non deficiamus.

*Indeficientem ergo iuſtitiam indeficiens præmium ſubſequetur.Cohortatur eos ad ſtudium perſeuerãtiæ, qui in hac uita mercedem boni operis expectant.Neſcientes, quia ſicut in ſemine aliud ſationis, aliud meſſis eſt tempus:Sic & in præſenti uita ſementis eſt opera,quæ nũc uel in ſpiritu uel in carne ſerũtur.Meſſis uerò operũ futurũ iudiciũ:& qualitate ſementis diuerſas nos facere menſuras,centeſimum,ſexageſimũ,& triceſimum fructũ:quam ſegetẽ nemo poteſt metere deficiens.Qui enim perſeuerauerit uſq; in finem,hic ſaluus erit.Quale eſt autem,ut cùm peccatores cotidiè in malis operibus augeantur, nos in bono opere laßemur?* Sementis pro ſemine uel ſeminatiõe. Math.10.

Tempore enim ſuo metemus,non deficientes.

*Nunc tẽpus ſeminandi eſt,non metẽdi.Nõ ergo hic noſtrã mercedẽ quæramus accipere, ne hyeme tenera herba dimiſſa in præſenti,ut acerba non proſit, & non ſit quod in futuro metatur.Dicetur enim nobis,Recepiſtis bona ueſtra in uita ueſtra. Et iterum,receperunt mercedem ſuam.* Luc.16 Math.5

Ergo dum tempus habemus; operemur bonum ad omnes.

*Tempus ſemẽtis (ut diximus)tempus eſt præſens, & uita,quã currimus:in hac licet nobis quod uolumus ſeminare.Cùm iſta uita tranſierit, operandi tempus auferetur. Vnde & ſaluator ait:Operamini dum dies eſt,ueniet nox,quando iam nullus poterit operari.*

Maxime autem ad domeſticos fidei.

*congregationis in ipſum,ut non citò moueamini à ue-ſtro ſenſu,neque terreamini,neque per ſpiritum,neque per ſermonem,neque per epiſtolã, tãquam per nos miſ ſum,quaſi inſtet dies domini.* Ne quis uos ſeducat ullo *modo*. Et *ut totam epiſtolã quam mittebat à ſuſpiciõe erueret falſitatis manu ſua in fine ſubſcripſit dicens: Salutatio mea manu Pauli,quod eſt ſignum in omni epiſtola Id eſt quod adpoſui mea manu.* Intelligite quã *fiducialiter ſcripſerim,& neminem pertimuerim,qui literas mea manu ſcripſi,ſiue opera intelligamus in manibus, quam ob cauſam crebrò, & in prophetis dicitur,Sermo domini qui factus eſt i manu* Hieremiæ,*ſiue* Aggæi:*ut ad hanc ſimilitudinem in manu quoq;* Pauli *factum dei ſciamus eſſe ſermonem.*

Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.

*Multũ perſequebãtur Iudæi eos, qui uidebantur deſerere traditas hmõi obſeruatiões, quos ipſe quã timeat ſatis oſtendit,cũ tales literas etiã ſua manu ſcribere uoluit.*Docet *ergo timorem adhuc in iſtis operari, tanquam ſub lege conſtitutis, qui ad circunciſionẽ gentes cogerẽt Et ideò ſuperiùs iã oſtẽdit ex quo loco ſua ſub ſcripſerit manu,& nunnc quid ſubſcripſerit replicat.* Caius *Cæſar, et Octauianus* Auguſtus,*&* Tiberius *ſucceſſor Auguſti leges promulgauerãt,ut Iudæi qui erãt in toto* Romani *imperij orbe diſperſi proprio ritu uiuerent,& patrum ceremonijs deſeruirent.Quicunque igitur circunciſus erat,licet in Chriſtũ crederet,quaſi Iudæus habebatur à gentibus.Qui uerò abſq; circunci*

*ſione ſe non eſſe Iudæum præputio præferebat perſecutionibus tam gentilium, quàm Iudæorum fiebat obnoxius. Has igitur perſecutiones hi qui Galatas deprauarant declinare cupientes, circunciſionem pro defenſione diſcipulis perſuadebant. Quam nunc Apoſtolus confidentiam in carne uocat, quòd ſcilicet tam gentibus, quos timebant, quàm Iudæis, quibus uolebant placere, circũciſionem in perſecutionem proponerẽt. Nam nec Iudæi proſequi eos poterant, nec gentiles, quos uidebãt & proſelytos circuncidere, & ipſos legis præcepta ſeruare.*

Neque enim qui circunciduntur legem cuſtodiunt, ſed volunt vos circuncidi.

*Vel ſi circunciſio legem faceret cuſtodiri, aliquid uideretur habere ratiõis iſta perſuaſio, Sed propter terrenam fœlicitatem, uel cupiditate adipiſcendi, uel amore amittendi. Et ideò non uerè cuſtodiunt: quoniam carnalis cupiditas, qua peccator mutatur potiùs, quã augetur, cupiditate alia non ſanatur: quia facit eos carnalis timor, & cupiditas ſeruos, qui carnaliter cũ ſta obſeruare ſe credunt. Vnde hoc eſt omne quod ſtudent, quod agunt, quod nituntur, ut apud Iudæos de ueſtra carnis iniuria glorientur et iactitent ſuo gẽtes magiſterio circunciſos. Hoc autem totum faciunt ut Iudæis placeant, & expugnante legis inuidia conquieſcant. Siue aliter.*

Neque eñ qui circũciduntur legẽ cuſtodiũt.

*Illam enim dicit cuſtoditionẽ legis, Nõ occidere, nõ mœchari, Non falſum teſtimoniũ dicere, & ſi qua hmõi ad bonos mores pertinere manifeſtum eſt: quia niſi chari-*

*tate & ſpe bonorum æternorum,quæ per fidem accipi untur,impleri non poßе iam dictum eſt.*

Vt in carne veſtra glorientur.

*Id eſt, ut non ſolùm non patiantur perſecutionem à Iudæis,qui nullomodò ferebant incircunciſis legem prodi:ſed etiam glorietur apud eos,quòd tam multos proſelytos fecerint. Vt enim unum proſelytum facerēt Iudei,mare & terram eos circuire ſolere dominus dixit.* Math.23.

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti,per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

*Nō in propria iuſtitia,uel doctrina,ſed ī fide crucis per quā mihi oīa peccata dimiſſa ſunt, Vt ego mūdo morerer,ut eum nō teneam,id eſt, ut neque mundus mihi nocere poſſit, Neque ego de mundo aliquid cupiam. Qui autem in cruce Chriſti gloriatur, non uult placere in carne, quia perſecutiones carnalium non timet, quas prior,ut crucifigeretur,ille ſuſtinuit; ut ueſtigia ſua ſectantibus præberet exemplum. Siue aliter mundus ei crucifixus fuerat,quia hūc cordi ſuo iam mortuū non amabat:ſed & ſeipſum mūdo crucifixerat, quia talē ſe ei exhibere ſtuduit,ut ab eo quaſi mortuus cōcupiſci nō poſſit: Si enim uno in loco ſint mortuus & uiuens, & ſi mortuus uiuum non uidet,uiuus tamen mortuum uidet. Si uerò utrique ſunt mortui,alter alterū nequaquā uidet. Ita qui iam mundū non amat, ſed tamē ab illo nō uidēs amatur,et ipſe uelut mortuus mūdum non uidet: Hūc tamē mūdus adhuc mortuus uidet. Si uerò nec ipſe in amore mundū retinet, nec rurſum à mūdi amore retinetur. Viciſſi ſibi uterq; extincti ſunt,quia dū alter*

*alterum non appetit, quaſi mortuus mortuum non attendit. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipſe quærebatur, & ſe mundo, & mundum ſibi crucifixum eſſe gloriatur. Quod quia multi appetunt, ſed tamen uſque ad culmen extinctionis omnimodæ non adſurgunt, Ideò ait:*

In Chriſto enim Ieſu neque circũciſio aliquid valet, neque præputium.

*Hoc tempore neque circunciſio prodeſt, neque præputium nocet, ſed hoc ſolùm prodeſt, ſi quis renatus noua circunciſione utatur. Seruat hoc loco apoſtolus uſq; in finem illam indifferentiam, ne quis eum putaret uel in Timothei circunciſione ſimulatè aliquid egiſſe, uel in cuiuſquam agere, ſi fortè aliqua talis cauſa extitiſſet. Oſtendit enim non ipſam circunciſionem obeſſe aliquid credentibus, ſed ſpem ſalutis in talibus obſeruationibus conſtitutam. Nam & in Actibus apoſtólorũ hoc modo inueniuntur illi circũciſionem perſuadere, ut aliter eos, qui ex gentibus crediderant, ſaluos fieri negẽt poſſe. Non ergo ipſius operis, ſed huius erroris perniciem refellit Apoſtolus, cùm dicit: Neque circunciſio aliquid eſt, neque præputium.*

Sed noua creatura.

*Nouam creaturam dicit uitam nouam per fidem Ieſu Chriſti, In qua noua creatura transfigurabitur corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis Chriſti, cùm uetera tranſierint, & facta fuerint omnia noua.*

Et quicunque hanc regulam ſequuntur, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael dei.

*Id eſt eos, qui uerè ad uiſionem dei præparantur:non qui uocantur hoc nomine, & carnali charitate uidere deum uolunt,quando gratiam eius reſpuentes,ſerui eſſe temporum cupiunt. Dei uerò Iſrael dictus eſt ad diſtinctionem eius,qui dei Iſrael eſſe ceſſauit. Dicunt enim ſe eſſe Iudæos,& non ſunt:ſed mentiuntur,cùm ſint de ſynagoga ſatanæ. Nec mirandum eſt, ſi ad diſtinctionem ſpiritalis Iſrael carnalis Iſrael dicitur,qui nec pacem habeat,nec miſericordiam,dè quo & ad Corinthios ſcribitur. Videte Iſrael ſecundum carnem.* 1.Cor.10.

De cætero nemo mihi moleſtus ſit.

*Nemo me amplius interroget,quaſi dubitans. Omnē enim iam expoſui ueritatem, idcirco hoc dicit, quia nō uult per turbulentas contentiones tædium ſibi fieri debere,quantùm ſatis erat expoſita materia cùm iam in epiſtola,quam ad* Romanos *ſcripſit,tùm in hac ipſa.*

Ego enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.

*Id eſt,ego ſigna & characteres, non circunciſionis,ſed crucis per paſſionem in corpore meo circunfero, & plagas uel flagella, quæ propter* Chriſtum *ſuſtineo,& habeo alios conflictus, & certamina cum carne mea, quæ in perſecutionibus, quas patior,mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum ſeruilium,ut ſi quis uerbi gratia ſeruus in compedibus fuerit propter noxam,id eſt propter culpam,uel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur. Et ideò in iure manumiſſionis inferioris eſt ordinis. Nunc ergo* Apoſtolus *ſtigmata uoluit appellare, quaſi notas pœnarum de perſecutionibus quas patiebatur. Pro*

*pter culpam enim perſecutionis,qua perſecutus erat ec cleſias Chriſti,hæc ſibi retribui cognouerat,ſicut ab ip ſo domino dictum eſt Ananiæ,cùm idem illum Ananias tanquam perſecutorem chriſtianorum formidaret. Ego illi oſtendam, inquit, quæ oporteat eum pati pro nomine meo.Veruntamen propter remißionem peccatorum,in qua baptizatus erat, Omnes illæ tribulationes non ei ualebant ad perniciem, ſed ad coronam uictoriæ proficiebant.Concluſio epiſtolæ tanquam ſubſcriptio,manifeſta eſt.Nam & in nonnullis alijs epiſtolis hac ita utitur.*

Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro,Amen.

*Subſcriptio Pauli talis eſt.Optat autem,ut gratia cum eis domini,non legis opera,comitetur.Cum ſpiritu,inquit,non cum carne: in cuius circunciſione gloriantur carnales.Vos autem ſpiritaliter circunciſi eſtis,& ſpiritaliter conuerſamini.*

τέλος.

Excudebat P. *Vidouæus ſibi*, *Viuantio Gaultherot*, & Ioanni *Foucher*.

1542